Q. HORATII FLACCI LIBER

de Arte poëtica Iacobi Grifoli Lucinianēsis interpretatione explicatus.

Rhetoricos libros ad Herennium, ad M. Tul. Ciceronem nihil omnino pertinere per eundem declaratur.

FLORENTIAE.

M D L.

REVERENDISS. AC ILLVSTRISS. LVCERIE EPISCOPO FABIO MIgnanello Iacobus Grisolus Lucinianensis. S.

NON sine quadam admiratione mecum ipse cogitare soleo P. A. cum grauissimorũ uirorum scripta lego, cur ea quæ monumentis literarum ipsi tradunt, nec, si obscuritate naturæ inuoluta sint, in lucem proferre uelint, ac si in perfacili cognitione uersentur, dicendo tamen obscurare studeant. Eius autem rei caussam cum diligenter indagarem, illam mihi peruestigasse uideor, quòd homines ingenio præstanti maiore cum dignitate scribere se putant, si à doctis uiris tantummodo intelligantur. Sperant enim fore, ut si probentur à doctis, ab omnibus horum testimonio probentur. Nec eos fallit opinio. Nam & apud omnes maxima est illorum gloria, & uirtus est à uulgari intelligentia remota. Hoc fuisse Thucydidis consilium, ut Philosophos omittamus, hoc magnorum Poetarum cõstat: In quos Horatium referre non dubitarim. Cuius quidem cum in alijs opusculis, tum in Arte poetica permulti occurrunt obscuri abditiq́; loci, qui uix intelligantur. Itaq; haud mihi satis exploratum est, an industria nostra doctorum animos offendat: quod Horatij Flacci Poeticã ad uulgares sensus accommodare studeamus, à quibus ille, ut patet, abhorrebat: Ne fas enim est uereri, ne ille ipse, si modo uoluisset, quæ nos conamur illustrare, planius multo scribere non potuerit. Quocirca uereor, ne hoc institutum iudiciumq́; nostrum à peritio-

ribus uituperetur, cum præsertim hæc interpretandi ratio tenuem fortasse laudem consequi nonnullis uideatur. Sed neutrum est horum. Nam hæc studia neq; scriptoribus afferunt iniuriam, neq; sunt ullo modo contemnenda. Primum enim nullius esse statuo consilium scriptoris, ut ab omnibus, si liceat, laudari nolit: Quin etiam ob id ipsum à doctis in primis cupiunt probari, ut idem cæteri omnes illorum auctoritate ducti faciant: Neq; enim contemnenda est ea laus, quæ ab optimis iudicijs profecta à populo comprobatur: Sed ille certe contemnendus est, qui totus ex multitudinis temeritate pendet. Nã hæc inani quadam ostentatione, & adumbrata uirtutis specie plerumq; fallitur: Illa uero laus est illustris, stabilisq; fama, de qua consentiunt bonorum omnium iudicia, quibus non assentiri multitudo nefas esse ducat. Nemo igitur ita statuat, quemquã excellenti uirũ ingenio ob id legi à doctis uiris optare, ut ipsi gaudeant in sinu; sed ut quæ ipsi fecissent opere tã præclaro, tantoq; artificio perfecissent, per illos cognoscatur, & cognoscendi multorum studia commoueantur: ac ita sua laus propagetur, & inde ab omnibus cum admiratione laudetur. Nam quid, obsecro, de Homeri maiestate, quid de Aristotelis acumine, quid de Platonis diuinitate unquã detraxit uulgi laus? Nulla mehercule gloria contaminatur à multitudine, quæ testimonio bonorum celebretur; Quo constituto, constituta est reliqua defensio. Omnis enim scriptorum laus ex rebus, & ex uerbis constat: Nam ex rebus doctrinæ laus apparet, ex uerbis lumen orationis. Sed in alijs facultatibus quid dicas, nõ quemadmodum, refert. Non enim tam uerba, quàm res penduntur; ut in philosophia. Quamquam enim magna est eorum laus, qui copia, & ornatu orationis, philosophiam coluerunt: tamen etiam satisfecerunt huic disciplinæ, qui ieiu-

ne, & exiliter scripserunt. De alijs uerò ut de Poetica, secus est existimandum: pari enim studio in utroq; laborandum est. In quocunq; igitur genere cuiusquam ingenium enituit, pulchrum est atq; adeo pium conari splendorem illius ijs ostendere, quorum acies satis per se cernere non potest: cum enim à belluis ratio nos & oratio distinguat, cumq; utraq; sit humani generis propria uirtus, non uideo quid homini pulchrius esse queat, quàm horum naturæ munerum laudibus eos ipsos, quibus sint communia, superare. Nam præclarum est didicisse nec minus humanum est docere. Etenim quæ nam est actio, quæ magis propria sit hominis, quàm docere? Quod si pro sua quisque dignitate faciat, dignitatem habere hoc studium quis neget? Nolo uirum prætorium, nolo consularem quasi in ludo literas docere. Sed nec ijs desunt, quæ, seruata dignitate cum alijs communicent. At quis tandem est fortunæ gradus, quis hominum status, in quo se quisque digna præcipere non soleat? Male mehercule se res habeat, si hoc humanitatis officium pro se quisque deserat. Sed non faciam, ut quod lõgum esset, & non necessarium exemplis singula genera percurram. Illud mihi perspicuum uidetur, nihil esse tam illiberale, quàm industriæ suæ fructus nolle ad usum hominum conferre: Nemo enim peritus nascitur, nemo sine doctrina potest excoli: Inchoatum enim hominem natura tradit artibus perficiendum. At si homo homini lege naturæ consultum esse uelle debet: contra naturam facit, quisquis ab illorum præsertim bonorum usu alios excludit, quæ non modo sine detrimento possunt omnibus commodari: Sed etiam magno cum emolumento. Nulla enim studia sunt uberiora, nulla feracior discendi ratio, quàm si tua industria aliorum alas ingenia. Nec quisquam est adeo instructus, ornatusq; doctrinis, quin eas im

pertiendo alijs, instructior, ornatiorq; fiat. Ne sit igitur nobis pudori, in ea re parere naturæ, quæ cum alijs, tum nobis sit profutura: Natura enim impellimur, ut nostra doctrina prodesse quàm plurimis uelimus, eadémque facit, ut quæ liberaliter trademus alijs, maiore mensura nobis rependantur. Quid? quòd sine ingrati animi suspicione id officium negligere non possumus? Namque nisi nos peritiores adiuuissent, ex maximis laboribus, & longißimis uigilijs doctißimorum hominũ percipere nullos fructus potuissemus. Quare improbè facit, qui ad doctrinas aditus intercludit alijs, quos benigne sibi patefactos fuisse recordatur. Sed longum esset omnia persequi, neque est necesse, cum me suo patrocinio M. Tullius defendat: Sic enim in Oratore suo urget aduersarios: Cur aut discere turpe est, quod scire honestum est: aut quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere? sed alia est nobis non leuior oblata criminatio: Ipsa enim docendi profeßio uix ab arrogantiæ suspicione seiungi potest. Sed uniuersi generis defensio non est admodum difficilis. Nam philosophorum greges, & omnium generum permulti hanc causam honestißimè tuentur. Quæ autem posita est in persona mea, difficiliorem defensionis rationem habet. Nam quod intellexisse me uidear profiteri, quæ multi non intellexerint, id ne mihi in magno crimine arrogantiæ ponatur, uehementer metuo. Artem enim poeticam Horatij multi iam sunt interpretati. Quare nos aut acta uidemur agere, aut aliorum iudicia reprehendere. Hoc uerò ut arrogans uidetur, sic illud stultum. At neque nos acta nunc agimus, quippe qui, nisi me fallit, noua omnia huc attulimus, nec alios refutandi studio laboramus. Ita enim meæ interpretationis modum temperaui, ut quiuis iudicare poßit, me pro uiribus magis curasse, ut

nequa mihi peccati uenia petenda sit, quàm ut aliena uitia castigarẽ. Quis enim tam lynceus esse potest, quin aliquid offendat aliquando? Quo circa mihi faciundum putaui, ut sine ullius iniuria ipse quoque ad communem fructum aliquid afferrem. Equidem iudicij mei libertate ita sum usus, ut suam omnibus reliquerim. Ac siquid peccatur, id in quo multi laborarunt, retractando, magnis auctoribus peccatur. Nisi forte tam multi Platonis, aut Aristotelis, aut aliorum scriptorum interpretes per idem tempus, cum alij aliorum similia suorum studia ignorarent, quid ijsdem de rebus sentirẽt, omnes simul scripserunt. At licuit semper, semperq; licebit de rebus dubijs suam cuique sententiam explicare. cum præsertim non leuibus quibusdam coniecturis ducti, sed firmis argumentis, nec dubijs rationibus, & maximis auctoribus nitamur. Hisce'ne tu igitur rebus instructus in Solem, pulueremq; prodis? Spero equidem, & uerò in id operam dedi. Quantum uerò sim assecutus, aliorum sit iudicium. Illud certe affirmare non dubito, ostendisse me locos Horatianos, ac totum ferè hoc opus ex Aristotelis Arte poetica decerptum: Nec res in occulto latet. perspiciet, an ita sit, quicunque leget. neque uerò ullum est tam acre iudicium, quod in hoc pertimescam. Sed tam & si ad usum communem hac in re laboraui, ita tamen intelligi uolo, ut, si qua gratia sit, ea tota Petropaulo mirifica uirtutis indole filio tuo debeatur. Cum enim illorum temporum mihi uenit in mentem, cum tu Patauij mirabili quodam studio ad Ius ciuile concitatus acumen illud ingenij, quod habes à natura, quodq; arte pulcherrimè limasti, quotidianis ferè disputationibus ostendebas: inde usque repetens memoriam, amicum te mihi tunc ex animo fuisse, & ueram beneuolentiam præstitisse non modo fateor, sed etiam prædico. Cum porro Bono

niæ propositis mille quæstionibus, & Iuris.V. locis quicquid ipse de illis sentires, contra omnes defensurum te professus esses, ac triduo in maxima doctissimorum hominum corona ita pulchre stetisses, ut uehementer omnes admirarentur: & Altobellus Reuerendissimus Episcopus Palæ, uir summo ingenio, & sapientia præditus, qui tunc eam prouinciam gubernabat, te quæstionibus criminum præposuisset, dici uix potest quãta cum humanitate me Bononiam accersieris, quamquam sis benigne de me, liberaliterq; meritus. Postquam uerò Reuerẽdissimus ille Episcopus ex ea prouincia decessit, & tu Romã te contulisti, magnis interuallis interrupta est nostra consuetudo. Neque tamen unquam de ea beneuolentia, qua me diligere cœperas, quicquam remisisti. Itaque cum me Romæ primũ ex Pannoniæ legatione reuersus, deinde Bononiæ, post Venetijs legatus utriusque loci magnis interuallis uidisses, ita semper es complexus, ut tuum quasi longum desiderium lenire uidereris. At quo me sensu diligeres, apertius declarasti, quoties tibi oblata est occasio tuis me beneficijs iuuandi. Quæ quidem tam multa sunt, & tanta, ut incredibilem in te amorem, & omnia studia summa debeam. Verum si animi mei gratiã per uires, & per fortunas meas mihi liceret illustrare, cognosceres P. A. nullum te unquã beneficium apud hominẽ gratiorem posuisse. Verum tua te uirtus sic extulit, ut nullius priuati uiri in te studia, aut officia constare posśint. Quare unus mihi relictus est locus officij, ut te scilicet obseruem, itaque mea tibi maxima obseruantia nec deſuit unquã, nec est defutura. Sed tamen, ut aliquis meus referendæ tibi gratiæ conatus appareat; mitto ad te P. A. has meas in Horatij Poeticam interpretationes; non tamen ea spe, ut adiuuem tua studia. Quamuis enim tibi sit insitum à natura, ut in quamcunque partem te dederis,

te dederis, mirabilis existas, tuus tamen animus magnus & excelsus pacandis prouincijs, & maximis imperiis gerendis assuefactus libentius nunc felicissimis IVLII III. Pont. Maximi auspiciis urbem temperat, & rerum omnium ferè curam sustinet. Cum itaque industriæ meæ nullus sit locus in tanta curarum mole, non tamen Petropaulo tuo eximia spe uirtutis filio inutilem fore puto. Ad quem cum hæreditate paternæ gloriæ, quam tu tibi maximam præclaris laboribus, & excellenti uirtute comparasti, hæc quoque studia tibi debita pertinere debent. Quando quidem & leuiora sunt, quàm ut in illis occupari tibi liceat, & illius industriam possunt adiuuare: cum illius igitur causa (ut dixi) hæc ediderim, illi quoque fructus eorum, si modo sint ulli, acceptos referri uolo. Nam tantum abest, ut ex ære tuo cupiam exire, ut in dies maiore cupiam obstringi. Neque mihi quicquam honorificentius putem euenire, quàm ut ex tuis in me beneficiis omnes cognoscant, me abs te uehementer amari, quod ut facias te etiam atque etiam rogo. Vale.

IACOBI GRIFOLI LVCINIANENSIS IN ARTEM POETICAM HORATII INTERPRETATIO.

QVID Horat. Flaccus in hoc libello ſcribendum ſibi propoſuiſſet, voluit ipſa inſcriptione ſtatim, vt mos eſt, omnibus eſſe notum, de Arte ſcilicet poëtica; quod antiquisſimi libri, & noui omnes, & inter hos etiam interiecti apertiſsimè declarant. Tum veteres ſcriptores ſuo teſtimonio confirmant. vt Quint. in viii. Id enim inquit tale eſt monſtrum, quale Hor. in prima parte libri de Arte poëtica fingit. Vbi non ſolum de Arte poëtica dixit, ſed etiã librum appellauit. Cum itaque Horatius de poëtica facultate curam ſcribendi ſuſcepiſſet, tametſi de comœdia nonnulla, tamẽ de tragœdiæ ratione multa in primis diſputauit. Nã quæ pertinent ad Epicos, non plura ſcripſit, quàm communia ſint vtrique generi, vel leuiter omnino, & pauca guſtauit: at quamuis ſtudeat in primis docere tragœdiæ præcepta, non tamen eſt eius conſilium omnia complecti, quæ de ea dici poſſent. Sed quantum ego exiſtimare poſſum, quæcunque ad rerum congruentiam, & decorum attinent, ea diligenter eſt perſecutus. Videns igitur Ariſtotelis iudicio Tragœdiam conſtare fabula, moribus, ſententia, dictione, apparatu, & melodia, primum de conſtitutione fabulæ diſſerendum eſſe ſtatuit, nam rei totius imitandæ rationem ea continet: deinde, cum mores, & ſententiæ verbis explicentur, orationem ſta-

tim poſt fabulam cœpit expolire; in quo nō eſt ſecutus nec ordinem,nec rationem Ariſtotelis,nam hic poſt fabulam mores,tum ſententiam,poſt dictionem explicauit, atque de his omnibus omnia diligenter executus eſt. Videns autem Horatius,quamuis agi fabula dicatur,tamē nullum eſſe locū aut de ſententia,aut de more ideſt περὶ διανοίας, ἢ περὶ ἤθου, qui non tractetur oratione, exiſtimauit de ea differendo, etiam mutata Ariſtotelis diſpoſitione,ac omiſsis ijs omnibus de quibus nulla eſt controuerſia, ſe poſſe quàm commodiſsimè ad quos vellet vtrìuſque locos peruenire.Itaque ſecundo loco de oratione dixit, ac ne de omnibus quidē eius partibus,verum de verbo nouo tantum, quod à Latinis euitari nimium religioſe videbat. Reliqua verò meo quidem iudicio refert ad virtutem eius,& ad officia decori,quæ quidem ratio in cęteris quoque ſeruata eſt. Id enim Horatius in hoc opuſculo mihi videtur in primis propoſitum habere: Etenim quis non videt nō modo prologum,epiſodium,exodum,choricum,& huius partes duas parodum,& ſtabile, quæ ſunt membra fabulæ,omnino prætermiſſa? quin etiam multa earum ipſarum partium, quæ ſunt quaſi formæ fabulæ ipſius, quaſque ſibi tractandas poëta ſumpſit, videbis omiſſa. Conſtat igitur hic libellus ex ijs præcipuè rebus,in quibus maxime quid deceat apparet. Et quoniam oratio eſt interpres mentis,& hæc eſt morum index, de illius decoro dicendo de reliquorum quoque decoro dixit. nam & quo verſu,& quali quæque res ſcribatur,ad orationem ſpectat:officium porro,proprietas, ſimilitudo, conſtantia morum ſeruetur nec ne,ſine oratione vix cōſtare poterit.ac ne qua pars Tragœdiæ neglecta ſit,quæ ad apparatum,&melodiam acceſſerint,paucis expoſuit. Primum igitur de fabula ſcribit,quæ quidem eſt anima tragœdiæ, cuius compoſitio aptis partibus conſtare debet,vt vna res ſit,quare illi vehementer peccant, qui ex

ijs rebus fabulam conficere conãtur, ex quibus res vna fieri nunquam posset: inæquabilia enim & specie pugnantia coniungunt, quod animaduertens Horatius il los hoc monstro reprehendit.

HVmano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit: & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite Pisones isti tabulæ fore librum
Persimilem, cuius uelut ægri somnia, vanæ
Fingentur species: vt nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus, atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas
Scimus, & hanc veniam petimusq́, damusq́ vicissim,
Sed non vt placidis coëant immitia: non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerunque & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, vnus & alter
Assuitur pannus: cùm lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenũ, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: et fortasse cupressum
Scis simulare, quid hoc? si fractis enatat expes
Nauibus, ære dato, pingitur? amphora cœpit
Institui, currente rota, cur vrceus exit?
Denique sit quod vis simplex duntaxat, & vnum,

HVMANO CAPITI.] Confingitur hoc monſtrum ex variorum animalium membris, quæ differant inter ſe non modo ſpecie, ſed etiam quia non eiuſdem ſunt elementi, in quo non peccat diſpoſitio, quandoquidem ſuo quæque loco membra diſponuntur, ſed contra naturam fit, vt quæ differant ſpecie, & forma, & natura miſceantur. IVNGERE.] Rectè, quia caput obtinet primum locum, & principio reliqua iunguntur. VARIAS.] Non ſolum varijs coloribus, ſed variarum auium. atque ſic aërium animal cum terreſtri iam miſcebitur. INDVCERE.] Extēdere, pictores enim colores inducūt. VNDIQVE] Nō ſolum temere ex quouis animali, ſed ex quouis elemēto. vnde ſtatim ſubſequitur. VT TVRPITER ATRVM DESINAT IN PISCEM.] Ergo ex terreſtribus, aërijs, & marinis animalibus collatis membris formatur hoc monſtrum. VT MVLIER FORMOSA.] Vt quo ſit ſpecioſius principium, hoc reliquum turpius appareat. VT NEQVE PES, NEQVE CAPVT VNI.] Vt ſuprema pars mulier formoſa, infima verò ſit piſcis abhorrens penitus à ſuo principio, quare ſit verè dictum nec pes, nec caput vni reddatur formæ. Sed intelligit etiam medium ab extremis diſcrepare, hæc ſunt huiuſmodi, vt vna res ex eis fieri nulla ratione poſsit, vt ſuperius dictum eſt. at, vt inquit Ariſtoteles, μῦθος ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ: πολλὰ γὰρ, καὶ ἄπειρα τῷ γένει συμβαίνει, ἐξ ὧν ἐνίων οὐδέν ἐστιν ἕν. οὕτω δὲ καὶ πράξεις ἑνὸς πολλαί εἰσιν, ἐξ ὧν μία οὐδεμία γίνεται πρᾶξις. Vna res eſt fabula, non, vt quidam ſuſpicantur, fabula eſt vna, ſi vna ſit perſona: multa enim, & infinita eueniunt eiuſdem generis, ex quibus vnum fieri nunquam poſſet. Sic etiam actiones vnius ſunt multæ, ex quibus nulla res vna conſtare poſſet. Quod ſi inter actiones vnius viri tantum intereſſe poteſt, vt ex eis vna res fieri nulla ratione poſsit. quid ex rebus differentibus ſpecie?

Num ex membris humanis,& equinis Centauros extitisse confitebimur? Num Sirenas in pisces desinere?Atqui Tragœdia ferre nihil potest, quod non sit naturæ consentaneum. Et quamuis tragici non sit, vt inquit Aristoteles,nec item comici ea dicere,quę gesta fuerint ea tamen illi dicenda sunt omnino, quæ fieri potuisse verisimile sit,aut etiam necessarium.Equidem arbitror Horatium,dum hæc scribebat, habuisse in animo infixa ea verba,quæ nuper ex Aristotele descripsimus. SPECTATVM ADMISSI.]quasi ab optimo pictore,à quo nemo ferè soleat admitti,nisi magna sit amicitia cõiunctus.RISVM TENEATIS AMICI?]Etiã si amici sitis, & tueri laudẽ, & honorẽ pictoris cupiatis, tamẽ risum tenere minime poteritis. CREDITE PISONES.] ἀντα·πόδοσις. PICTORIBVS, ATQVE POETIS.] Quanto venustius per hanc obiectionem reprehendit vitia, quæ sibi proposuit corrigenda? Est enim mos per inductionem fictæ personæ vulgarem aliquam,& ineptam opinionem refutare. Et caue putes alterum hic præceptum esse, vt tradit Porphyrio. Vnum est enim hoc præceptum,vt sit quoduis simplex dumtaxat, & vnum. Cuius contraria sunt hæc omnia vitia,quæ reprehendit in his locis Horatius, quæ quidem sunt stultæ compositionis fabulæ. Quando vnum volunt efficere,ex ijs, quę non possunt in vnam conuenire naturam, HANC VENIAM PETIMVS.] παρομολογία. assentitur enim pictoribus, atque poëtis fingendi potestatẽ esse,ita tamen,vt quæ natura pugnant inter se non coniungantur.nec intelligas alternis vitijs dari veniam.hic enim corriguntur vitia, sed fingendi libertatem.vbi veniam eam vim habet,quam in his Ciceronis verbis ex primo de Oratore sumptis: Dabis hanc veniam mi frater,vt opinor, vt eorum, quibus summa dicendi laus à nostris hominibus concessa est,auctoritatem Gręcis anteponam. Petimus igitur vicissim hanc veniam,idest vt

hoc concedatur,vt quidlibet fingamus,quod tamē natu ra patiatur. NE PLACIDIS COEANT IMMITIA.] ut serpentes auibus geminentur,tigribus agni,namque auium mãsuetudini contraria est acerbitas serpentum, quod idem de tigribus & agnis est dicendum, fingi debent ea tantum quæ fieri possent, aut potuissent. Et non vnum corpus ex ijs conficere,quæ inimica sint natura,& eorum pars altera,extinguat alteram. IN COEPTIS GRAVIBVS.] neque tertiū,neque secundū est pręceptum,neque de digressione loquitur,verum cum pictorum vitia sint confutata, hic poëtarum vitia simi liter arguuntur.Et exemplis quibusdam ostendit quomodo in vitia poëtæ cadant. incœpta enim grauia, & quæ magna profitentur principia, non debent leuibus quibusdam rebus,& paruis imminui,sed suis progressionibus augeri potius,aut retinere suum statum. Non enim.Virg.decuisset bella,& errores summi viri,& he rois potius cantaturum se profiteri, quæ carminis heroici maiestatem requirunt, & res deinde elegorum proprias cantare. Faciendum est igitur,vt vltima cum primis,& cum vtrisque media consentiant.incœpta gra uia, & professa res magnas conferuntur cum immititibus, Lucus & ara Dianæ cum placidis,vt quemadmo dum serpentes auibus, aut tigres agnis pictor iungere non debet, ita nec poëta res Heroum graues, & ma gnas cum luci, & aræ Dianæ iucunditate contexere. Quare ad illud est redeundum, vt sit quid vis simplex dumtaxat, & vnum: cuius contraria sunt hæc omnia, quæ hic improbat Hor.Caue putes,hic Hor.ĩmanitaté Tauricæ Dianę innuere:Non enim ea voluptatis causa, vt voluit,describi possunt. Quare Dianam intelligas venationis deam collibus,& montibus,& amœnis vallibus delectari solitam. Et esse consentaneum illam habuisse locum aliquem amœnum,& aram,quæ cum iu cunditate scribi possent. AERE DATO.]si pictor nulla

pacta

pacta mercede id faceret, liberius illi quidlibet pingere fuisset, at ære accepto, vt id exprimat, quod illi præscriptum fuerat, stultissimè facit, si cum re tam graui, & tragica velit arborum amœnitatem miscere: Sed qui aggredi audent maiora suis viribus, facere non possunt, quin victi rerum magnitudine ad humilitatem naturæ suæ delabantur. Consueuisse verò, qui naufragium fecissent sacro parieti votiuas tabellas affigere, testatur Horatius dicens in Odis:

Me tabula sacer
Votiua paries indicat humida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

VRCEVS EXIT.] magno incœpto πάρεργον substituit, vt multi faciunt, qui cum maiora suis viribus polliceantur, ad humilia descendunt, vt hic qui amphoram, vas vinarium amplum, & rude conuertit in vrceum paruũ & ornatum. Perficiendum est igitur vt nihil sit discrepans, nihil inæquabile in fabulæ constitutione.

Maxima pars vatum pater, & iuuenes patre digni
Decipimur specie recti. breuis esse laboro.
Obscurus fio, sectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq́ professus grandia turget:
Serpit humi, tutus nimium, timidusq́ procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam,
Delphinum syluis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

DECIPIMVR SPECIE RECTI.] Transit ad alterã partẽ, quæ λέξις nominatur, per hanc enim poëta mores, & sententias imitatur. Quamobrem in hac parte, & illa duo continentur, & quasi obiter de apparatu, & melodia pauca gustabit. Sed ut in moribus quædam sunt vi-

tia,quæ virtutem videntur imitari,vt in Partitionibus his verbis tradit Cicero:Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis,& magnitudinem animi superbia in animis extollendis,& alia vitia,ne singula persequamur,alias virtutes imitātur.Sic in oratione vitia sunt,quę virtutis quadam specie nos decipiunt,vt breuitas, quæ sæpe obest, non solum quòd obscuritatem affert, sed etiam quòd aufert iucunditatem. quare vt Prodicus ait in Phædro Plat. οὔτε μακρῶν, οὔτε βραχέων δεῖ λόγων, ἀλλὰ μετρίων. Sic enim erit non modo tantum verborum, quantum erit necesse:quod sępe obesse inquit M. Tul. sed quātū opus erit etiam ad iucunditatem,de qua etiam si hic nō agatur,maximè tamen quærenda est. Atqui in oratione breui perspicuitas raro potest apparere: quo circa fugiendam putat Quintilianus breuitatem illam Salustianā, quamquam in ipso virtutis locum obtinet.Sed est sæpe difficilior,quàm vt sciamus eam imitari:quo fit,vt dum alterum loquacitatis extremum fugimus,incidamus in contrarium.verba enim necessaria subtrahimus: quod quidem vitium diligenter est cauendum. Sit igitur oratio pressa,in qua nulla sit luxuries,nulla redundantia. Simplicibus constructa verbis,& vni seruiat perspicuitati,quę præcipua est virtus orationis. SECTANTEM LEVIA NERVI DEFICIVNT, ANIMIQVE.] κακόζηλον est vitiū in excessu virtutis positū.quo specie boni fallitur iudiciū. Cum enim suauis oratio maximè delectet,& magnā laudē obtineat,sine iudicio quidā illi rei seruiētes,eneruati fiunt,& fracti:dum enim verborum horridū fugiunt,& asperū cōcursum,dum etiā hiulcam nimium vocalium coniunctionē, nimium languescunt, vt oratio neruis & spiritu carere videatur: vt non modo non delectet,sed sine nausea non possit audiri,vel legi.Cum verò tres sint dicendi formæ & characteres,humilis scilicet,mediocris, & sublimis,hic Hor. mediocrē

intelligit,in quo teste M.Tul.plurimum suauitatis inesse debet.qui verò ignorant in omni re quatenus, in vitiũ labũtur. Cũ verò dicit: PROFESSVS GRANDIA TVRGET.] Ostendit illorũ vitium,qui oratione grandi vti nesciunt.dum enim vitant humum,nubes,& inania captant. Turgidi sunt enim & inflati, dum verborum optimorum,& grauissimorum inani rerum sonitu delectantur.dum timent igitur ne depressi nimium, & exiles videantur,altius insurgunt, quàm res ipsa patiatur. Rursus qui videri nolint inflati,& tumidi,nimium deprimuntur,& exili,& angusta nimis vtuntur oratione: vt qui nimios ventorum flatus effugiunt, humo se tollere non audent. hæc similitudo sumpta est ab auibus, vt procella pro uehementiore vento accipiatur. Is autem optimam in scribendo sequetur rationem, qui verba rebus,& hominibus, & temporibus aptè ita contexere didicerit,vt nec vlla fiat perturbatio, & elegans sit,& ornata compositio,ne quid male sit dispositum, quod vitium ἀνοικονόμητον Quint. appellat,aut male figuratum,quod ἀσχήματον,aut male collocatum,quod κακοσύνθετον Græci uocant. Sequitur aliud quoq; vitium nõ leuius reprehẽsis, in quo versantur ambitiosi homines: qui dum rem verbis ornare nimium contendunt, sic eam deformant,vt non dissimile monstrum illi fingãt, quod in prima huius libelli parte finxerit Horat. Est apud Græcos,vt quint.ait,κοινονισμὸς,vt si Atticis Dorica,Ionica,& Aeolica verba confundas.Apud nos verò simile vitium erit illi,siquis sublimia humilibus, vetera nouis,poëtica vulgaribus miscebit.quod vt quint.putauit esse mõstrũ,sic Horatius, cũ PRODIGIALITER inquit. REM VARIARE.] Id enim cuiusmodi sit,interpretatur ipse dicens. DELPHINVM SYLVIS APPINGIT FLVCTIBVS APRVM.] Portentum enim, & magnum prodigium videri posset, si viuere delphinum in syluis, in fluctibus aprum videremus,

faciunt igitur, vt dum ornati nimium videri volunt, dum generum omnium adhibere pigmenta, ab ipsa natura prorsus abhorreant. at prima est virtus, & maxima in ornamentis omni vitio carere. Caueant igitur poëtæ ne dum nimium simplices & incompti videri nolint, fiãt alienis ornamẽtis mõstrosi. IN VITIVM DVCIT.] Vitium declinare non poteſt, qui non cognoſcit medium vitiorum, ideſt virtutem. Vbi enim consiſtendum ſit, dum refugit à vitio, non videt: itaque in contrarium delabitur.

Eſt igitur modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Quare tenẽdum eſt illud preceptum, quod in Oratore dedit M. Tul. vt in omni re videamus quatenus, & magis exiſtimemus offendere nimium, quàm parum.

AEmylium circa ludum faber Imus & ungueis
Exprimet, & molleis imitabitur ære capillos.
Infelix operis ſumma, quia ponere totum
Neſciet. hunc ego me, ſi quid componere curem
Non magis eſſe velim, quàm prauo viuere naſo
Spectandum nigris oculis, nigroq; capillo.
Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo:
Ordinis hæc virtus erit, & Venus; aut ego fallor,
Ut iam nunc dicat: iam nunc debentia dici
Pleraq; differat, & præſens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.

AEMILIVM CIRCA LVDVM.] quis nã fuerit hic Ae.

milius, aut vbi ludus, viderint alij, satis enim est nobis hūc locū fuisse Romæ, circa quē faber hic habitarit. Nā Imum esse nomen proprium puto. Alia sunt à nobis hoc loco perquirenda, quę ad Artem magis explicandū quę poëtæ sensum pertinent, nam sunt fortasse abstrusiora, quàm plerique suspicentur. Duplex est, vt inquit in Poëticis Arist. peccatum poëtarum. Alterum est enim in rebus, quæ sunt ipsius artis propriæ, vt quando sibi proponit aliquid ad imitandum, quod imitatione exprimi non possit. Alterum est in rebus alienis. vt si de medicina locum aliquem male tractauerit. Si peccet igitur in primo genere, iusta reprehensione carere non potest: in suo enim artificio, & vt poëta peccat. In posteriore verò ex accidenti peccat, nec vt poëta reprehendi debet, sed vt imperitus illius artis, cuius est id, in quo peccatum sit, sed hæc sunt Aristotelis verba. αὐτῆς δὲ ποιητικῆς διττὴ ἡ ἁμαρτία, ἡ μὲν γὰρ, καθ' αὑτήν: ἡ δὲ, κατὰ συμβεβηκός, ἡ μὲν γὰρ προείλετο μιμήσασθαι ἀδυναμίαν, αὐτῆς ἡ ἁμαρτία, ἡ δὲ περ ἑλέσθαι μὴ ὀρθῶς, κατὰ συμβεβηκός.

Ille igitur poëta, qui sibi proponit illud opus, quod vi orationis suæ pro eius dignitate nequeat ornare, peccat in suo artificio, & similis est Imo, qui aliquas partes, vel omnes potius sciebat ære imitari, & exprimere, tamen opus ipsum absoluere non poterat, vt haberet etiam suam venustatem, quam Summam vocat. Ergo qui non valet grauitate sententiarum, & pondere verborum, & qui non potest omni cultu orationis, & ornamenti genere rem excolere, is tragœdias, aut heroum gesta scribere non audeat. Sed in humilioribus versetur, & suis viribus aptiora verset, nisi oratione possit, quod inuenerit, expolire, nam de vi orationis hic agitur à Poëta, id quod his versibus aperte ipse demonstrat.

Sumite materiam, vestris, qui scribitis, æquam
Viribus & versate diu quid ferre recusent,

quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Cum enim iam docuerit cuiusmodi esse debeat fabulæ compositio; nunc ostendit vnde venusta quoque fieri possit: Oratione scilicet. Qui tragœdiam igitur non potest sustinere, ad comœdiam se conferat, aut quiduis aliud sequatur opus, ad quod natura magis factum se cognoscit. CAPILLOS.] Difficilem esse rationem capillorum pingendorum aut fingendorum ex Plinio didicimus, qui laudem Parrhasio Ephesio tributam fuisse docet, quòd primus symmetriam picturæ dederit, primus argutias vultus, & elegantiam capilli. Et Lysippum arti statuariæ contulisse plurimum capillo exprimendo dixit. Ex vnguibus igitur & capillis cognoscimus Imum potuisse corpora, & quæ media sunt rerum, quod est magni operis exprimere. Sed in quo tamen gloriam multi tulerint, vt ait Plin. Sed infelix propter Summam erat ille statuarius, quia extrema corporum, vt verbis vtar Plinianis, & definientis picturæ modum includere nesciebat. Quod rarum in successu artis inuenitur. Per Summam igitur nos, quę Plin. xxxv. lib. cap. x. appellat extrema, & modum picturę finientis intelligimus: quod lõgè difficillimum laborantibus est consequi, ac vt apertius loquamur, Summa est illa venus, & illa decentia, quę solet etiam in illis delectare, qui non absolutissimam tamen habeant corporis figuram, quam Catullus quoque deesse Quintiæ dixit, cum multis eam formosam videri ait, sibi verò candidam, lõgam, rectam fatetur. Totum illud Formosa negat. Nam nulla venustas nulla in tam magno corpore mica salis. Totum illud Formosa negat, & quid sit illud explicat, cum nulla venustas, nulla mica salis in corpore tam magno esset. Non igitur gratus erat illius conspectus, quod inuenustus, & prope dicam infacetus esset. Hoc quoq; deerat in Imi statuis, & causam docet Hor.

quia ponere totum nescit, quod idem accidit illi poëmati, quod nec orationis venustate, nec lepôre sit asperfum. quare stultum est id sequi, quod assequi non possis. PONERE.] Facere, & ad pictorem, & ad statuarium pertinet hoc verbum. in. IIII. enim Odarum sic inquit Horatius.

Neque tu pessima munerum
Ferres, diuite me, scilicet artium,
Quas Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Et in hoc ipso libello.

Sic verò est vnctum, qui rectè ponere possit. HVNC EGO ME.] Nollet Hor. si quod faceret poëma, id esse statuis illius fabri simile. NIGRIS OCVLIS NIGROQVE CAPILLO.] Horum pulchritudinem valde probat Horatius sic in Odis.

Et Lycum nigris oculis, nigroq; capillo.

quamquam illud Alcæi iudicium est potiùs, quàm Hor. nam ab Alcæo mutuatum verba hæc esse puto. SVMITE MATERIAM.] qui bene consuluerit vires suas, & habuerit naturam suam bene perspectam, is ad vim eius materiam accommodabit, nec audebit quicquam, quod non possit efficere, conari. Itaque abundabit orationis copia, & ornatu, & suo quidq; loco pulcherrimè disponet. nam inuentio coniuncta est cum ordine dispositionis: Quis enim ad ędificium rectè materiam cõparare poterit, nisi simul cogitet ad quã quidq; partem sit accõmodandũ? rectè igitur M. Tul. ait in Part: Collocari ad inueniendũ referri. CVI LECTA igitur POTENTER ERIT RES:] Imi vitio nõ laborabit: sciet enim Ponere totũ. Potenter verò est nouatũ verbũ. Lucidus autem, ordinis perpetuum est epithetum, tum hic etiam necessarium: qui enim eligit id, quod pulchrè sustinere possit, is disponendis rebus non cõfunditur.

VT IAM NVNC DICAT.] Monet, vt diligens poëta, nō vt ſibi quicquid offeratur, ſtatim id arripiat, & dicat; ſed vt perpendat quod rei cuiuſque ſit pondus, & in quem locum ea maxime conueniat. Itaque quod nūc eſſe dicendum videatur, id nunc dicatur, quod alio tempore, id in illud differatur. pręſens verò tempus cuiuſq; rei dici poteſt, quod eſt ei opportunum, & quod poſtulat, vt res agatur, vel dicatur. Itaque vt poëta virium ſuarum, ſic temporis, & rerum debet habere rationem. Quare æquam viribus materiam monuit Horat. illi ſumendā, & eſſe cuiuſque rei tempus obſeruandum. Et VT HOC AMET, HOC SPERNAT PROMISSI CARMINIS AVCTOR.] qui eſt rerū delectus. Multa inquit M. Tul. occurrūt argumēta, multa, quæ in dicēdo profutura videātur, ſed eorū partim ita leuia ſūnt, vt cōtēnenda ſint, partim, etiā ſiquid habeāt adiumēti, ſunt nōnunquam eiuſmodi, vt inſit in ijs aliquid vitij, neque tanti ſit illud, quod prodeſſe videatur, vt cum aliquo malo cō iungatur. Orator igitur perpendit argumenta, & quid habeant momenti videt. itaque reijcit leuia, contemnit inutilia, arripit firma, & hæret in bonis. Num ſecus eſt poëtæ faciendum? Minime verò. Sed ea, quæ ſibi veniunt in mentem, magno iudicio debet ſimiliter expendere, atque hoc probare, illud refutare, vt nihil ſit in eius opere, quod proprium non ſit, & cum re ipſa natum videatur. Quicunque igitur rem aptam ſuis viribus expri mendam ſumit, is abundat orationis copia, ſuo quamq; rem loco aptiſsimè diſponit, optimum temporum, rerumq; delectum habet. Atque ſimul tres partes attigit quæ ſunt in oratoris vi ſitæ. Inuentionem, elocutionem & diſpoſitionem. Et quia præpoſtero vſus erat ordine, præponens elocutionem diſpoſitioni, quod tamen cum cauſa fecit, cum de oratione hic apta rei tractet, & proprius orationis ſit hic locus. Et de diſpoſitione caſu, & obiter loquatur, tamen in ordinem hęc ſuum redigens,

vbi

vbi pauca de Dispositione dixit, ad Elocutionem redijt dicens:

In uerbis etiam tenuis, cautusq; serendis.
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura nouum: si fortè necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum:
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturq; licentia sumpta pudenter,
Et noua, fictaq; nuper habebunt verba fidem: si
Græco fonte cadant parcè detorta, quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus, ademptum
Vergilio, Varioq;? ego, cur acquirere pauca
Si possum, inuideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit: & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, semperq; licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.
Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:
Et iuuenum ritu florent modo nata vigentq;.
Debemur morti nos, nostraq;: siue receptus.
Terra Neptunus. classeis Aquilonibus arcet;
Regis opus, sterilis'ue diu palus, aptaq; remis
Vicinas vrbeis alit, & graue sentit aratrum:
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis
Doctus iter melius. mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia uiuax

Multa renascentur, quæ iam cecidere: cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitriũ est, & vis, & norma loquendi.

IN VERBIS ETIAM TENVIS.] Quo in loco ea præterit, quæ confessa sunt, & omnibus vsitata, quæ verò quasi suspecta vnusquisque reformidat, ea sibi faciũdum putauit, vt ad Græcorũ consuetudinem poëtæ Latini colerent: Cum enim verborum simplicium triplex sit genus, Propriorum scilicet, quę cum rebus ipsis vidẽtur esse nata: Translatorum, quæ multiplicia sunt, nanq; immutata omnia sunt genere translata: Nouorum, quæ nouamus nos, & facimus ipsi, reliquis omissis, de quibus nulla sit controuersia, de factis, quæ πεποιημένα dicũtur, à quibus Latinos abhorrere nimium videbat, copiose disputare cœpit Et caue putes, quod imperitè multi faciunt, in his versibus vllam esse verbi proprij, aut translati significationem. nanque aperte ad nouum spectare omnia videbis. Primum enim quid est verba serere? omnis plane satio ad nouos fructus pertinet. Nec, vt nõ nulli faciunt, qui de translato hic intelligunt, accipias Serere pro aspergere: Nam quis in translatis tenuis unquam est repertus? Quæ nam est epistola, qui sermo tã familiaris, in quo non vigeant translationes? at nisi peruertamus ordinem, ita verba disponemus.

In verbis etiam tenuis, cautusque serendis,
Dixeris egregie, si callida iunctura reddiderit nouum verbum, notum. In hac igitur semente facienda quinq; sunt præcepta, Primum vt tenuis sis, idest parcus, vt ex sequentibus constabit. Deinde, vt cautus, idest prouidus, nequid temerè, nequid stultè seras, aut sine causa. Tum vt in compositione, & structura verborum ita sis prudens, vt quod ignotũ esset per se, per socia verba cognoscatur. Deinde, vt tum demum nouum audeas formare verbum, cum sit necesse indicijs monstrare recen

tibus abdita rerum. Ex quo intelligimus vnum esse locum verbo nouo, vbi vsitata non valeant. Postea vnde sit ducendum, ex Græco scilicet fonte. An hæc nondum satis declarant, nihil hic esse, quod translato non repugnet? nam quę parce transferuntur verba, nec appellantur uoua, nec succurrunt tantum necessitati, sed afferunt etiam iucunditatem, perspicuitatem, breuitatem, & vim maiorem oratione. Sed hæc satis, aut etiam fortasse nimia in re perspicua, redeamus igitur vnde digressi sumus. IN VERBIS ETIAM.] hæc particula, Etiam, ostendit quod egregie dicet primum qui materiam sumet æquã suis viribus, quod expressit dicens. Nec facundia deseret hunc: deinde qui in serendis verbis tenuis, & cautus ita verba coniunget, vt quod nouum sit in illis fiat perspicuũ. SI FORTE NECESSE EST.] Ordo est, continget fingere Cinctutis &c. si forte necesse est. INDICIIS MONSTRARE.] Vides ne suo nunc exemplo nobis animum addere poëtam? Verba enim indicia dixit, vt σύμβολα. Aristo. περὶ ἑρμηνείας. ἅ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. idest quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in animo affectionum, sunt notę. In Off. primo etiam M. Tul. vocem orationis indicem vocauit. ABDITA RERVM.] Non enim fingendum est verbum, nisi quando vsitato, aut proprio non possis exprimere, quod velis, aut necessitas cogere videatur. CONTINGET FINGERE.] Hoc quoque verbo pro ἐνδέχεται Græco est vsus, quod licet significat, sic in. X. sermone pri. lib. quid me putatis.
Difficile, & mirum Rodio quod Pitholeonti.
Cõtigit? Et vir. in sexto. Ire ad cõspectũ chari genitoris, & ora. Cõtingat ac periucunde pręceptum simul & exẽpla dat iisdem verbis, CINCTVTIS CETHEGIS.] non dubium est, quin deductum sit nomen à cinctu, & participiali forma habitum ostendit omnino, & ex habitu, tempora, & ex Cethegis veteres, vt synedocha sit à

parte totum,& Metonymia,habitus pro tempore. DABITVRQVE LICINTIA SVMPTA PVDENTER,] Si tenuis eris. ET NOVA, FICTAQVE NVPER.] Ne quis obijciat, quis verba fingat quæ nemo probet,quæcunque ea fuerint:Occurrit,& pluribus argumentis conatur ostendere,& placitura esse,& splendorem habitura,si sint idonea & PARCE DETORTA CADANT DE GRAECO FONTE.] Vnde docēda sint,ostendit.Ne quod multi faciunt,hic intelligamus nos doceri nouis rebus noua nomina imponenda esse,quasi verò id nullo præcipiente natura ipsa non cogat. INVIDEOR.] Priscianus in.viij.ponit Inuideo inter ea verba,quæ faciunt ex se passiua, idque fortasse Hor.ductus auctoritate,Cic.verò in tertio lib. Tuscul. rectius inuidere florem,quàm flori dici putat: sed nos consuetudine prohiberi,& Accium laudat,quòd in Menalippa ius suuum retinuit in eo versiculo.

Florem quisnam liberum inuidit meum?

Dictum autem verbum docet à nimis intuendo fortunam alterius.Sed nos eadē ratione, quā Greci φθονοῦμαι dicunt,inuideor dicere possemus,nisi superstitio prohiberet. Sed illud hoc in loco omitti non debet,hoc verbum nūc ad odium pertinere potius,quàm ad inuidiā: Nemo enim inuidet illi rei,quam non ipse cupiat. Nec aliud est inuidia,quàm dolor alieni boni,quod inuidenti mali nihil afferat.probaretur igitur Hor.si quid acquirenti sermoni patrio inuideretur illi. Nam ex illius laude oriretur inuidia.Quare inuideor hic habeor odio significat. LICVIT, SEMPERQVE LICEBIT.] Quod semper licuit,& semper licebit, nam ad vtrunque tempus referendum est Semper. Quid est,quod nūc quoq; non liceat? SIGNATVM PRAESENTE NOTA.]In quarta Satyra secundi libri:

Non est mihi tempus auenti
Ponere signa nouis præceptis. Signa idest nomina.

Sic præsentem notam nouam vocem intellige. Et meta phora sumpta est à pecunia. SIVE RECEPTVS.] De Lucrino lacu intelligendum non puto: Is enim in terrã non receptus, sed magnis molibus à Iulio Cæsare inclu sus, neque de portu Hostiẽsi, nisi forte poëta diuinarit, cum tot annis post Horatiũ factus sit à Claudio Imperatore. STERILISVE DIV PALVS.] Pontinam intelligit paludem per Cethegum siccatam. Palus vltimã breuem habet quãdoque, quamuis in paludis, lu. penul tima sit longa. Lege Seruiũ in eũ versum lib. II. Aeneid. Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt Accipere?

SEV CVRSVM MVTAVIT.] Cum per Velabrum Tybris flueret, Augusti iussu est ab Agrippa deductus quà nũc excurrit. DOCTVS ITER MELIVS.] Sic in Epistola ad Villicum.

Addit opus pigro riuus si decidit imber,
Multa mole, docendus aprico parcere prato.

MORTALIA FACTA PERIBVNT.] Idest cùm sint mortalia, & facta. QVEM PENES ARBITRIVM EST.] Nam est genitor, vt in II. Epist.

Adsciscit noua, quæ genitor produxerit vsus.

Atque hæc de nouato verbo.

Res gesta, regumq́, ducumq́, & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstrauit Homerus,
Versibus impariter iunctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos Elegos emiserit auctor
Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit Iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq́ cothurni:
Alternis aptum sermonibus, & populareis

Vincentem strepitus, & natum rebus agendis,
Musa dedit fidibus diuos puerosq; deorum,
Et pugilem victorem & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera vina referre,

Nunc quia varia sunt poëtarum genera, definiendum fuit quo cuique metro sit vtundem, monet igitur Homeri auctoritate heroico versu res gestas regum, & ducum, & tristia bella scribi oportere. quod experientia congruere compertum esse docet hisce verbis Arist. τὸ δὲ μέτρον τὸ ἡρωικὸν ἀπὸ τῆς πείρας ἥρμοσεν· εἰ γάρ τις ἐν ἄλλῳ τινὶ μέτρῳ διηγηματικὴν μίμησιν ποιοῖτο, ἢ ἐν πολλοῖς, ἀπρεπὲς ἂν φαίνοιτο, τὸ γὰρ ἡρωικὸν στασιμώτατον καὶ ὀγκωδέστατον τῶν μέτρων ἐστί. διὸ καὶ γλώττας, καὶ μεταφορὰς δέχεται μάλιστα. metrum autem heroicum ex experientia quadrare compertum est: siquis enim vllo alio metri genere simplici, vel misto aut pluribus narrationem voluerit imitari, absurdum videri poterit: heroicum enim stabilissimũ est omnium metrorum, ac amplissimum. Et propterea varietatem linguarum in primis, & translationes suscipit. QVO SCRIBI POSSENT NVM.] Notandum est Possent verbum quo innuit alio numero ea scribi nõ posse, vt in superioribus duplici ratione docet Arist. non enim poësis, quæ longas habeat narrationes, posset alio numero vel solo, vel multis alijs admisto decorum suum, & venustatem habere: nec est vllum metri genus æque stabile, neque tam plenum quàm heroicum. Addo etiam, quod heroico poëtæ conceditur vsus omniũ linguarum, & omnium verborũ ornamenta; Non enim defuerunt, qui etiam in Latinis differentias linguarum constituere tentarint. VERSIBVS IMPARITER IVNCTIS.] quamuis ad luctum excogitatum esset carmen elegeiacum, vt excluderet res lætas, in eodem tamen animi voluptas postea est inclusa, vt tã læta, quàm tristia per illud cantaretur. Nam & εἰς τὰ λουτρὰ τῆς πόλ-

λάδλος ſcriptus eſt hymnus à Callimacho.quàm ſępe ſua
gaudia poëte celebrant hoc verſu ? de cuius inuentore
inter grammaticos non ſatis conuenire poteſt, nec eos
deridet Hor.cum ſuo fungantur officio.Certant igitur
quòd hoc inuentum alij ad Colophonium Polymne-
ſtum referũt,de quo Plutar. de Muſica. Inquit enim cũ
eadem poëmata ſecutum eſſe,quæ Terpandrus,& Clo-
nas ſecuti eſſent.Hi autem tibiæ leges & cantus elegio-
rum,heroicorũque conſtituerunt.Sunt etiam qui Eteo
clem Naxium,ſeu Heretrienſem elegi verſus auctorem
faciant,atque alij fortaſſe alios, vt mirum non ſit, ſi de
certo huius carminis auctore ſit adhuc controuerſia.
ARCHILOCHVM PROPRIO.] Nota eſt hæc hiſto
ria. Archilochi verò maledicentiæ meminit Lucianus
in eo dialogo, qui ψευδολογιστὴς, ſeu περὶ τῆς ἀποφράδος
inſcribitur.Cum enim quidam verbis illum carperet,
τέττιγα ἔφη τὸν ἄνδρα εἰληφέναι τοῦ πτεροῦ. Ala cicadam cę
piſſe illum dixit, vt enim cicada natura ſemper cantat,
ita ſibi inſitum natura voluit indicare, vt tacere nõ poſ
ſet:in Epig.verò illo pulcherrimo veſpis comparatus.
σῆμά τὸ δ' ἀρχιλόχου παραπόντιον, ὅς ποτε πικρὴν μοῦσαν ἐχιδ-
ναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ αἱμάξας ἑλικῶνα τὸν ἥμερον οἶδε λυ-
κάμβης μυρόμενος τρισσῶν ἅμματα θυγατέρων. ἠρέμα δὴ παράμει-
ψον ὁδοιπόρε μήποτε σοῦ δὲ κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφεζομένους.
Vixit autem regnante Romulo,vt in Tuſculanis refert
M.Tul.ſucceſsiſſe verò,teſte Plut.dictus eſt Terpãdro,
& Clonę. ALTERNIS APTVM SERMONIBVS.]
Ariſtoteles hoc oſtẽdit in Poëtica.μάλιστα γὰρ inquit λεκ-
τικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον· σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμ-
βεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους, ἑξάμετρα δὲ ὀλι-
γάκις καὶ ἐκβαίνοντες τῆς λεκτικῆς ἁρμονίας.eſt enim maximè
omnium iambicus verſus ad ſermonem aptus, cuius
quidem rei illud eſt nobis argumẽto, quòd collo-
quentes inter nos, ſepiſsime proferimus iambos, ra-
ro verò exametra. Et tunc ex quotidiani ſermonis v-

ſu excedimus. In tertio de Oratore M. Tullius ſic inquit:Iambum & trocheum frequentem, ſegregat ab oratore Ariſt.qui natura tamen incurrunt in orationem ſermonemque noſtrum. Verſus ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus, quod vehemẽter eſt vitioſum. Senarios verò,& Hipponacteos effugere vix poſſumus: magnam enim partem ex Iambis noſtra conſtat oratio. Et paulo poſt inquit:Sequitur ergo,vt, qui maximè cadāt in orationem aptam numeri, videndum ſit.Et ſunt enim qui Iambum putent, quod ſit orationi ſimillimus.Qua de cauſa fieri,vt is potiſsimum propter ſimilitudinem veritatis adhibeatur in fabulis. De heroico verò ſic ait.Ariſt.Heroum numerum grandioremiudicat, quàm,deſideret oratio. ALTERNIS APTVM SERMONIBVS.] Quod Ariſtoteles ἐν τῇ διαλέκτῳ πρὸς ἀλλήλους dixit, & ne videatur comico ſermoni tantum idoneus, oſtendit poſſe tantum inſurgere, vt ſuſtineat tragicam grauitatem, & non vincat popularem ſtrepitum magnitudine ſoni,ſed a uctoritate et grauitate comprimat, & ſic afficiat populum ,ut ſtrepere nec audeat, & vehementer admiretur. ET NATVM REBVS AGENDIS] Cum agi fabulæ dicantur,videtur hic verſus naturalem quandam vim,& aptitudinem habere ad dramata. MVSA DEDIT.] De Lyricis hic agit officijs:ac oſtendit materias illi generi ſubiectas,& eſt Zeugma, ad vnum enim verbum referuntur omnia. Et aduerte,quòd cum plura ſimul dicantur,ad quæ omnia proprietas vnius verbi non poteſt accommodari, poſtremæ partis ſcriptores rationẽ habent,& verbo ſibi proprio eam coniungant.vt hic:Nam referre iuuenũ curas,& libera vina propriè dicimus:diuos autem, & filios deorum,& pugilem victorem,& equum certamine primum,non item. Nam cantandi ſunt hi, celebrandi, laudibus ornandi. PVEROSQVE DEORVM.] Id eſt filios παῖδας. ET EQVVM.] Victorem equo. Metonymia

nymia,quæ dura videri poteſt.ſigna tamen victricia,et arma dicimus. ET LIBERA VINA.] à parte totum non enim conuiuium vino tantum celebratur.Sed fortaſſe Græcam ſecutus eſt appellationem, συμπόσιον enim illi dicūt. Libera verò vina ab effectu.faciunt enim vt libere loquamur,& faciamus quicquid lubet.Sed liberas cœnas intelligit potius,in quibus pares erant conuiuæ, & cauebatur Ne fidos inter amicos eſſet, qui dicta foras eliminaret,vt idem Epiſt.primo.

Deſcriptas ſeruare vices,operumq́; colores,
Cur ego,ſi nequeo,ignoroq́;,poëta ſalutor?
Cur neſcire pudens praue,quàm diſcere malo?
Verſibus exponi Tragicis res Comica non uult.
Indignatur item priuatis,ac propè ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæq; locum teneant ſortita decenter.

DESCRIPTAS SERVARE VICES.] qui neſcit, inquit hæc officia ſeruare,vt quod cuique ſit aptum, & attributum genus carminis cognoſcat ,indignus eſt,qui poëta numeretur. VICES] Officia.Quint.in principio primi lib.Diuiſæ ſunt,inquit,profeſsionū vices. Et idem Hor.Fungar vice cotis, Et alibi.
Sermone opus eſt modo triſti ſæpe iocoſo
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtæ
Interdum vrbani.

COLORES OPERVM.] Proprietates.Tranſlatio pulcherrima, quæ apud oratores ad ornamenta,& figuras attinet,hic autem naturam quandam,&rerum proprietatem ſignificat:Vt enim eſt cuiuſquæ rei color,ſic etiam qualitas,& natura,vt in hoc ipſo libello.
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit Dauus'ne loquatur,an audax
Pythias. VERSIBVS EXPONI.] Hic apertius quid

ſit color oſtẽdit, Vices.i.officia explicata ſunt, vbi demõ ſtrauit variarum ὑποθέσεων, & ſubiectarum rerum poëtis varia quoque metrorum genera eſſe oportere. Cum verò tragœdia, comœdiaque ſimul iambum ſibi ſumpſerit, et tanta ſit inter vtranque differentia coloris, monendum fuit, non numerum quidem in eis eſſe variandum, ſed qualitatẽ numeri, & quod attinet ad officium colendum colorem, nihil eſt enim quod in quancunque partem duxeris, magis ſequatur, quàm oratio: nihil tam molle, nihil tam tenerum, nihil tam natum eſt ad accipiendam omnem formam. quare ad id, quod decet, oràtio poteſt accommodari, nec quidquam eſt ineptius, quàm ſatura ieiunè, & grandia minutè dicere, nec rurſus humilia grauiter, & mediocria exili, aut ampla nimis oratione ſcribere. κακόζηλον enim magno iudicio fugiendũ eſt. proinde referat ſe quiſque ad illud, quod ſuperius eſt poſitum, vt tentet vires ſuas, & æquam illis materiam ſumat, & tum eius oratio rebus conueniet. Itaque comicus ad humilitatem rerum, & perſonarum iambi qualitatem, & colorem; tragicus accommodabit ad heroum maieſtatem. Nam vt de Opt. gen. dicẽdi monet Cic. in Tragœdia comicum vitioſum eſt: & in Comœdia turpe tragicum. quod hic oſtendit etiam Hor. INDIGNATVR ITEM] μεγαφρονοῦντες perſonæ, & elatæ ſunt in Tragœdia. ideo & deſpiciunt humilia, nec ad communem fortunam demitti volunt. Itaque SVVM QVAE QVE LOCVM] Ideſt omne genus poëmatis ſuo & verſus & orationis genere, id eſt proprio, & decenti perſcribatur.

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit:
Iratusq́; Chremes tumido delitigat ore.
Et tragicus plerunque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus & Peleùs, cum pauper, & exul vterq;

Proijcit ampullas,& sesquipedalia verba;
Si curat cor spectantis tetigisse querela
Non satis est pulchra esse poëmata:dulcia sunto:
Et quocunque volent animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani uultus.si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi:tunc tua me infortunia lædent.
Telephe vel Peleu,male si mandata loqueris,
Aut dormitabo,aut ridebo.tristia mæstum
Uultum verba decent:iratum,plena minarum:
Ludentem,lasciua:seuerum,seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum:iuuat,aut impellit ad iram:
Aut ad humum mærore graui deducit,& angit.
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites,peditesq; cachinnum.

INTERDVM TAMEN.] Ad sententiam hęc referenda sunt,& obiectionis est solutio:videmus enim in comœdia quandoque vocem attolli, & tragica verba : & in Tragœdia ceruices heroum frangi.at non in eo differunt hæ fabulæ,quod in altera turbata sint omnia:in altera tranquilla.vt vtraque suum quendam semper, & eundem tenorem seruet:incidunt enim loci,vt & comicæ personæ irascantur,& seruiant affectibus, vt à ferro tamen abstineant. Tragicæ verò demittant animos supplicesque fiant.Ne miremur igitur, Si Chremes iratus tumido delitigat ore. Quia id ira postulat. nec si Telephus,& Peleus dolent sermone pedestri:id enim paupe

ris,& exulis ſortunam decet. Nam quod Comicus tragicos imitetur affectus interdum monet accidere, non ſemper. Quod autem tragicæ perſonæ in egeſtate, & exilio ſummiſſe loquantur,plerunque fieri,ideſt ſæpius vel planè ſemper, vt ex ſequentibus cognoſci poteſt. Et aduerte Horatium his exemplis,& ijs,quæ ſequuntur,oſtendere neceſſarium eſſe temporibus ſeruire, & exemplar rerum reſpicere oportere.vt ita ſcribamus, & perſonis eam orationem tribuamus, quæ non abhorreat ab eo ſtatu, in quem caſu fuerint delapſi, & ſimul rationem mouendorum affectuum tradit. Videtur autem hic Hor.Euripidis prudentiam laudare,ut qui Telephum in eo ſtatu ita loquentem fecerit, vt proijceret ampullas & ſeſquipedalia verba, quem in Nephelis Ariſtophanes deridet, & exagitat:qui contra decorum, quod ἀρμόττον vocat Ariſtoteles, fortunam Telephi ſic abiectam finxerit.Quare nec Hor.laudat,quod Ariſtophanes vituperat,nec rurſus hic vituperat, quod laudat Hor:hic enim probat, non quòd regem in ea fortuna conſtituiſſet Eurip.ſed quod ita,vt in tali fortuna decuit,loquentem fecerit. Ariſtoph.verò non improbat ita locutum Telephum,ſed illa fortuna eſſe vſum. De Peleo Pind.in Pythijs,vt de feliciſsimo viro mētionem facit; ſic enim ait. αἰὼν δ᾽ἀσφαλὴς οὐκ ἐγένετο οὔτ᾽ αἰακίδᾳ παρ᾽ πηλεῖ: οὔτε παρ᾽ ἀντιθέῳ κάδμῳ: λέγονται γε μὰν βροτῶν ὄλβον ὑπέρτατον οἱ σχεῖν. id eſt vita verò ab omni tuta incommodo ne Peleo quidem Aeaci filio, neque diuino Cadmo contigit.qui tamē fuiſſe omnium beatiſsimi dicū tur.Et cauſas refert horum beatitudinis,quòd affinitate Deis coniuncti eſſent,& Muſas audiſſent in ſuis nuptijs canentes, & conuiuas Deos habuiſſent, & multa munera ab illis accepiſſent. aduerſis tamen caſibus ipſi quoque acti ſunt.Nam Cadmum iniqua fortuna trium filiarum magna parte felicitatis ſpoliauit. Peleum verò Achilles, quem vnum ille ex mortali Thetide ſuſcepe-

rat,cæde ſua perturbauit. Sed quod ab Hor.pauper, & exul fuiſſe dicitur,ea eſt cauſa, quod cum Phocum fratrem occidiſſet,in exilium à iuſtiſsimo patre pulſus fuit in quo aliquis tragicus poëta finxit eum eſſe in fortuna tam miſera verſatum. SI CVRAT] Non enim fieri poteſt,vt inquit M.Tul. in ſecundo de Oratore, vt doleat is,qui audit,vt oderit,vt inuideat,vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiamque deducatur, niſi omnes hi motus,quos orator adhibere volet iudici, in ipſo oratore impreſsi eſſe,atque inuſti videātur.Quint. verò in ſexto,cap.de Mouendis affectibus,Summa, inquit,quantum ego quidem ſentio,circa mouendos affectus,in hoc poſita eſt,vt moueamur ipſi:vt enim voluptas eſt potius Comœdiæ,ita potius eſt tragicum, metum,miſericordiam,horrorem ſpectatoribus afferre. vt in Poëticis Ariſt.& Plato ſcribit in Phædro,dicens τραγῳδίαν πρέπουσαν σύστασιν οἰκτρῶν, καὶ φοβερῶν, καὶ ἀπειλητικῶν, καὶ τῶν τοιούτων hæc autem fieri non poſſunt, niſi harum perturbationum imagines ex oculis,ex vultu,ex verbis agentis appareant. Deponendus eſt igitur regius ſpiritus,& miſeri hominis mens eſt ſuſcipienda, ſi dolorem ſpectatoribus velint inurere. NON SATIS EST PVLCHRA] Idem accidit ποιήμασι,quod Quintiæ puellæ apud Catullum:vt enim illa colore,magnitudine, figura videbatur excellere, quia tamen venuſtas deerat, & quidam lepor,minus placebat, ſic poëmata, tametſi ex omni alia parte laudari queant,niſi tamen afficiant, imperfecta ſunt.vt de ſtatuis Imi dictum eſt. Dulcia igitur ſunt illa quæ affectu plena,& ſuauitate condita penetrant in ſenſus auditorum,et ſpectatorum. SVNTO ET AGVNTO.] verba ſunt ſtatuentis,& mandantis. vt legū latoris,Cuiuſmodi ſunt in lib.de Leg.apud Cic. MALA SI MANDATA.] hic hiſtriones intellige,qui perſonas Telephi,Peleiquę gerūt: non enim ad has per onas eſt ἀποστροφή. Quoniam mandata loquēris, inquit:

mandata enim ab ipſo poëta ideſt ſcripta recitant imitantia fortunam Telephi,vel Pelei. Ariſt.hoc monet ipſum poëtam,dum ſcribit & fingit fabulas,oportere affici animo,& ſuſcipere omnes affectus,quos imitari velit & in perſonis exprimere,vt dolor , & cæteri motus ex ipſa veritate concitari videātur. Quid ergo in agendo? non'ne geſtu?non'ne vultu?oculis,& omni decenti motu ſunt adiuuandi?vt intus natura formari videatur hiſtrio ad omnes fortunarū habitus ? omnis enim motus animi,vt ait M.Tul.in tertio de Ora. ſuum quendam à natura habet vultum,& ſonum , & geſtum , totumque corpus hominis, vt omnis vultus , omneſque voces , vt nerui in fidibus,ita ſonāt,vt à motu animi quoque ſunt pulſæ.Idem paulo poſt , inquit:Omnis actio, & imago animi vultus eſt,indices oculi.Nam hęc eſt vna pars corporis,quæ quot animi motus ſunt,tot commutationes, ſignificationes poſsit efficere . Hominis igitur natura eſt eiuſmodi,vt varijs ſucceſsib.& varijs caſibus , variè commoueatur.Et omnium motuum in ore,& oculis ſignificationes appareant. quos fortunarum habitus appellat Horat. POST EFFERT ANIMI MOTVS INTERPRETE LINGVA.] Vt oratione res ſubijciantur oculis,& vox,& verba cum rebus maximè conſentiant. AVT DORMITABO, AVT RIDEBO.] Ad hūc locum faciūt illa verba Ciceronis in.M.Calidium in Bruto:Tu iſtuc M.Calidi ſi fingeres,ſic ageres ? præſertim cum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrimè ſoleas,tuum negligeres?vbi dolor?vbi ardor animi ? qui ex infantium ingenijs elicere voces,& querelas ſolet?nulla perturbatio animi , nulla corporis,frons non percuſſa , non fœmur,pedis (quod maximum eſt)nulla ſupploſio.itaque tantum abfuit, vt inflammares noſtros animos , ſomnum iſto loco vix tenebamus.

Intererit multum Dauus'ne loquatur, an heros:
Maturus'ne senex, an adhuc florente iuuenta:
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercator'ne vagus, cultor'ne virentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.

INTERERIT MVLTVM.] Oratio non rebus tantum cõsentanea esse debet, sed etiã personis. vt τὸ ὅμοιον serue tur, nam hæc ad id spectat. Et quoniam Hor. videtur ad personarum decorum sæpius redire, ac idem ferè dicere, cum tamen diuersa dicat, huic quoque loco succurrendum mihi duxi, vt ostenderem id ab eo non sine magno consilio esse factum: neque nunc minus, quàm vnquã alias præceptionem Aristotelis secutum. Cum enim Arist. differentiam morum quadripartitã fecerit, non existimauit Hor. rem ita necessariam sibi negligendam. prima igitur pars est, vt ille ait ὅπως τὰ χρηστὰ ᾖ secunda verò τὰ ἁρμόττοντα, tertia τὸ ὅμοιον, quarta τὸ ὁμαλὸν id est vt videamus, vt mores primum sint, qui boni sunt, tum qui consentanei, deinde qui similes, postremo qui æquabiles. differunt enim hæc inter se, quod ut paucis agamus, primum genus est officij, secundum est decori, tertium similitudinis, quartum constantiæ: in primo nemo peccat sine scelere, in secundo qui contra dignitatem suam, in tertio qui à suo genere discrepat, in quarto qui sibi non constat. in primo peccauit Menelaus in Oreste. quoniã oppugnauit eum, quem debuit defendere. in secundum Vlisses lugens in Scylla contra decorum suum. in tertio siquis dissimilis sit suis popularibus idest ab sua specie. in quarto Iphigenia in Aulide, supplex enim se non talem præbuit, qualem postea, quod enim supplex antea deprecata erat, id se postea libenter subituram profitetur. At primus locus est apud Horatium vbi ait.

Qui didicit patriæ,quid debeat, & quid amicis.Et quæ ſequũtur.Nam omnia illa officia magna religione ſunt colenda. Secundus.
Aetatis cuiuſque notandi ſunt tibi mores. Tertius.
Intererit multũ Dauus'ne loquatur,an Heros.Quartus.
Aut famam ſequere,aut ſibi conuenientia finge. Vtraque enim perſona ſemper conſtare ſibi debet.Boni mores ſunt lege vel humana,vel diuina vt pietas in ſuos,vt gerẽdis publicis muneribus,vt religio.τὸ δὲ ἁρμόττον poſtulat,vt naturæ quisque ſuæ cõſentiat:vt vir,quæ ſunt viri: mulier, quę ſunt mulieris,agat. τὸ ὅμοιον δὲ, vt non diſcrepet à ſua conditione, vt ſeruus ſeruo non ſit diſsimilis,neque mercator mercatori.τὸ δὲ ὁμαλὸν vt in omni actione ſibi conſtet.In omnibus autem his qui nulla coactus neceſsitate peccat non poteſt excuſari. Demonſtrauit hoc Ariſt. in exemplo τῆς πονηρίας, quod eſt contra primum genus,vbi ait.ἔστι δὲ παράδειγμα πονηρίας μὲν ἤθους μὴ ἀναγκαῖον, ὁ μενέλεως,ἐν τῷ ὀρέστῃ. vbi exemplum non neceſſarium intellige, quia Menelaus poterat ius propinquitatis conſeruare,et Oreſtem fratris filium tueri, cum tam iuſta cauſa Aegiſthum,& Clytemneſtram occidiſſet,nec vlla vi cogeretur contra illum,vt fecit,ſtare. Ac de reliquis idem intellige, excuſari eum non poſſe qui,ſi poſsit,non retinet ſuum decorum,ſic igitur inter preteris τοῦ δὲ ἁρμόττοντος παράδειγμα μὴ ἀναγκαῖον, & reliqua. At Telephus, & Peleus magni omnino viri, & fortes eorum tam felici fortuna in miſeram conuerſà,coacti ſunt ampullas,& ſeſquipedalia verba proijcere, & contra naturam ſuam, & mores,humili,& ſupplici voce vti.ac in omnibus his partibus,vt dixi,eueni re poteſt,vt aliqua cauſa neceſſaria alieni mores ſint imitandi.Et hoc eſt,quod Ariſt.dicit oportere etiam in moribus,vt in compoſitione rerum, quærere neceſſarium'ne ſit,an veriſimile: & quid, quod veriſimile ſit, aut neceſſarium conſequi. Eius autem verba hæc ſunt

in Poët.

in Poët. χρὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἤθεσιν ὥσπερ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων συστάσει, ἀεὶ ζητεῖν ἢ τὸ ἀναγκαῖον, ἢ τὸ εἰκος, καὶ τοῦτο μετὰ τοῦτο γίνεσθαι ἀναγκαῖον ἢ εἰκός. Hic igitur conditiones hominũ & differentię ſpectandę ſunt: Multum enim intereſt inter comicam, & tragicam perſonam, vel inter humanam & diuinam. quamquam mira eſt huius loci varietas. Nam alii diues, an Irus legũt: alij Diuus an Heros: alij Dauus an herus. Et quia hic in ſyllaba peccatur, ſunt qui loquatur herus'ne, legant. Aldus verò Dauus an Heros. Et hæc mihi lectio probatur: Videtur enim perſonam comicam per Dauum, per Heroem tragicam ſignificare, vt hæc ſit differentia prima, quæ ſuperiora confirmat. Diues autem an Irus differentiam oſtenderet fortunæ, quæ in matrona potente, & ſedula nutrice poſita eſt. Diuus an Heros, tollerari poſſet. Nam heroica virtus, tametſi inter hominem & Deum poſita eſt, tamen regiam perſonam, & tragicam demonſtrat. vt hæc ſint hic poſitæ differentiæ inter comicam & tragicam perſonam, vel inter diuinam, & humanam. Aetatis, vt, Maturus'ne ſenex, an adhuc florente iuuenta feruidus: Fortunæ, vt, Matrona potens an ſedula nutrix; Studiorum & induſtrię, vt Mercator'ne vagus, an cultor virentis agelli: Nationis, vt Colchus, an Aſsirius: Patriæ, Thebis nutritus, an Argis. Quis autem neget horum omnium ingenia, & mores eſſe uarios? Quamuis enim περὶ τῆς λέξεως diſputetur, tamen natura, & mores exprimuntur, & ab his ea emanare ſolet. alioqui decorum ſuum non habebit, & nos à principio monuimus, cum de Oratione diſſereret poëta, de Sententia, & Moribus ſuis locis eum dicturum, vt hic, & in ſequentibus cum dicit.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge
Scriptor. honoratum ſi fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,

Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq́; flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Iò vaga, triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare nouam, ſeruetur ad imum
Qualis ab incepto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt propriè communia dicere: tuq́;
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quàm ſi proferes ignota, indictaq; primus:
Publica materies priuati iuris erit, ſi
Nec circa vilem, patulumq́; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec deſilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

AVT FAMAM SEQVERE.] perſonam inducit poẽta, aut quam ſumpſerit ab alijs, aut quam ipſe primum ſibi finxerit. ſi alienam, ſeruet in ca eoſdem mores, qui bus eſt ab alijs formata, nec quicquam noui affingat; ſin verò nouam, qualem à principio induxerit, talẽ vſq; ad extremum ſeruet ideſt τὸ ὁμαλὸν. HONORATVM ACHILLEM.] δῖον. ſæpe Hom. δῖος ἀχιλλεὺς, quod honoratum ideſt ἔνδοξον ſignificat, hæc enim vis eſt huius epitheti. vt δῖος ὀδυσσεὺς. Dia Camilla. & præterea magnum ſignificat; vt εἰς ἅλα δῖαν, in admirabile, & magnum mare. & bonum. vt δῖος συβώτης. ſed Vlyſſes etiam δῖος ob ſapientiam dictus eſt, vt δῖος ἀλέξανδρος ob pulchritudinem. Excellentiam igitur oſtẽdit hoc nomẽ in magnis viris, & vim quandoque ſuperlationis habet, vt δῖα θεάων καλυψώ. Secutus eſt igitur Horatius epithetũ Hom. in Achille, cum præſertim ſit Homerica perſona.

Exemplum Achillis, ad heroicum poëma referri potest cæteræ sunt tragicæ personæ. SI QVID INEXPERTVM.] Quod experiētia cognitum nō sit, aut tentatum Virg. in quarto Aen. Nequid inexpertum frustra moritura relinquat. Personæ superius positę quales fuerint, experti sumus in antiquis poëtis. Sin vero nouam inducamus, cum sit formanda nunc primum, seruemus in ea τὸ ὁμαλόν. Quod si nos facimus in aliena, quanto magis in nostra? Nam in aliena non inconstantia peccaremus vt in nostra, at dissentire potius, aut vti libertate quadam nostra videremur. ideo magis est cauendum ne nobiscum pugnare videamur. ET SIBI CONSTET.] Constare sibi is dicitur, qui non recedit à suis moribus, & est semper idem. ita qualem à principio personam proferes in medium, talem perpetuò seruabis. DIFFICILE EST PROPRIE COMMVNIA DICERE] Vtra persona vel noua, vel ab alijs sumpta difficilior sit ad tractandum, statuit Hor. definiens vt melius scripturus aliquid possit suo studio consulere. commune contrarium est proprio, vt publicum priuato. quod ex his locis facile cognoscitur. PROPRIE.] non proprijs verbis, nam id est facillimum, sed ita, vt quod liberū erat omnibus occupare, id ita tractet, qui occuparit, vt non facile fiat proprium alterius. Quę quidem res quia difficilis est, audes, dixit, personam formare nouā. vt audaciæ videatur opus magis, quàm consilij, & prudentiæ, PVBLICA MATERIES.] per communem materiam, nouam personam intelligimus, per publicam quam sumpserimus ab Homero, vel à quouis alio poëta, vt est Achilles, Orestes. Sed horum nominum vis, & differentia diligentius explicanda est: videmus enim ex communi proprium fieri, cum dicit, difficile est propriè cōmunia dicere, & ex publico priuatum, ex his verbis, publica materies priuati iuris erit: vt enim proprium opponitur communi, sic priuatum publico. Verum com

mune hic proprie positum est, publicum verò nõ item, sed maluit Poëta improprie loqui,quàm confuse.Nam vbi publica materies inquit,communis dicendum fuit, & proprij iuris non priuati. Etenim commune duplicẽ vim habet.Prima est quando pro ea re ponitur,quę nullius sit,& cuiusuis prius occupantis fieri possit,quæ occupata statim fit propria.vt persona fuit Achillis, quæ à nullo tractata,ab Homero primum describi, & cantari cœpit. Et quia præstantia illius ingenij exornauit eum quàm pulcherrimè,propria illius facta est. Altera communis ratio est,quando res non modo possidetur,sed à duobus saltem,vel ab omnibus possidetur. Prima verò nominis huius ratio,intellecta est,atque adeo explicata in Offi.primo à M.Tullio,vbi ait:Ex quo quia suum cuiusque fit eorum,quæ natura fuerant communia, quod cuique obtigit,id quisque teneat. Secundam quoque de Inuentione idem sic definiuit: Commune est quod accidit omnibus,vt messis,vindemia,frigus,calor.Quod autem cõmune dicatur etiam quod paucorum sit, vbique sunt exempla.vt hoc mihi tecum est commune, & communis amicus noster.Publicum verò nec est paucorum, nec etiam omnium, sed ciuium omnium alicuius ciuitatis.Sic enim idem M.Tul.de Inuent.describit,publicum est quod ciuitas vniuersa aliqua de causa frequentat,vt ludi,dies festus,bellũ. Neque verò est vsquã legere,quod sit duorum,appellari publicum.Hic igitur publica materies pro communi posita est. Vt si Achillis persona ab alio cantaretur poëta, ita vt ea priuati iuris esset,id est huius poëtæ,esset eadem persona communis & huius poëtę,&Homeri.Publica verò dixit,& priuati iuris,ne bis communi posito, & proprio cõfunderetur sensus,vt diximus, operæ precium mihi visum est fuisse accuratius hæc replicare. Cum enim alij nihil ferè putent interesse inter publicum, & commune, delyrant hoc in loco atque sic implicantur, vt se nequeant expe-

dire. nec ea diſtinguere nouerunt, quæ ad ſuam quęque partem, referenda ſunt. Cum enim materiam poëtarum in duas diſtributam eſſe partes videamus (nam quæcunque perſona à quouis poëta cantanda ſuſcipitur, ea vel ab alio dicta iam ſumitur, aut ipſe nouã ſibi fingit) exemplis, & præceptis docet vtra ſit facilior, & qua ratione vtraque tractari debeat. ſic itaque primũ diſtribuit.

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge.

id eſt aut ſic imitare perſonam alienam, vt talem ſerues, qualem acceperis: aut ita nouam finge, vt ſibi conſtet id eſt vt quales illi mores ab initio affinxeris, eos ſemper retineat. ne modo ſit pia, modo impia, & ſibi non conſtet. Ad primam verò partem, referenda ſunt hæc.

Honoratum ſi forte reponis Achillem. & cæteræ perſonæ, quæ hic exempli cauſa deſcribuntur. Deinde.

Tu quàm rectius Iliacũ carmen deducis in actus. Tum.

Publica materies priuati iuris erit, ſi
Nec circa vilem, patulúmque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus.
Interpres, nec deſilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Ad ſecunda illa.

Si quid inexpertum ſcenæ committis, & audes
Perſonam formare nouam, ſeruetur ad imum,
qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt propriè communia dicere. Tum
quàm ſi proferres ignotus, indictaque primus.

Sed redeundum eſt iam vnde digreſſi ſumus. PVBLICA MATERIES.] Id eſt perſona ab altero ſumpta, & facta iam cum altero communis; erit priuati iuris, id eſt propria noui quoque poëtæ, nam vt tractata eſt ab antiquo poëta, qui primus eam formauit, erit illius propria, vt autem à nouo, qui imitatur veterem, tametſi mores non mutet, fiet huius tamen propria: aliud enim futurũ eſt poëma, & in diuerſis ποιήμασι eadem perſona iiſdem

moribus prædita diuerſorum erit propria. vt ſi alterius eſſet poëtę ὁ Οἰδίπους ὁ ἐπὶ Κολωνῷ: alterius ὁ Οἰδίπους ὁ τύραννος quamuis eadem ſit perſona ijſdem etiam moribus, propria tamen vtriuſque poëtæ foret; nam poëmata erunt diuerſa,& vnum vtriuſque proprium,atque hoc demũ intellexit Horat.atque ideo dixit. SI NEC CIRCA VILEM.] nullus ſanè poëma nouum conficiet de eadẽ perſona,qui veſtigia ſequatur illius,à quo illam ſumpſerit,vt qui eandem materiam,diſpoſitionémque ſequatur,& verbà græca in latina vertens interpretis officio fungantur potius, quàm poëtæ:cui quidem interpreti per operis legem,id eſt per legem interpretis aberrare, nec à rebus, nec ab ordine,nec à ſententijs illius poëmatis licet,quòd ſibi non magis imitandi curam quàm interpretandi ſuſcepit.qui ſic igitur laborauit, non ſolum propriam ſibi perſonam non efficiet, ſed ne communem quidem habebit.ac ex his patere iam puto quid ſit morari circa vilem,& patulum orbem,id eſt nõ recedere à conſtitutione fabulæ veteris poëtæ,& interpretandi munus ſibi tantum ſuſcipere. Vilem autem,& patulum dixit,quia non magni eſt ingenij inuentionẽ alterius,& totam rationem compoſitionis ſequi,& ſemper,& omnibus patet. Sunt autem in magno poëmate, vt Ilias eſt,& Odyſſea, permulta loca, quæ nouus Epicus poëta cum laude poſſit imitari.quam quidem artem à Virg.quiſque mutuari poteſt,vt vbi Aeneam, & Achatem ſepſit nebula,vt Homerus Vlyſſem. neque tamen, vt hic ad Alcinoum ab regia filia, ſic Aeneas ad Didonem deductus eſt. itaque præter quandam ſummam, res eſt diuerſa,& tamen imitatus eſt Homerum.Sequatur igitur veterẽ poëtam nouus, vt in Officijs Stoicos M.Tul.vt ex illius fontibus quantum, & quomodo videbitur,hauriat. Quamquam Virgil. aliam hiſt. aliam perſonam ſibi ſumpſit.neque circa vilem,patulumq; orbem morari neque ſi integros hinc idem locos ex Ho-

mero in suam fabulam inserebat, in hoc vitium, quod hic ab Horatio reprehenditur, poterat incidere.

Nec sic incipies, vt scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic qui nil molitur ineptè:
Dic mihi musa virum, captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbeis.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat: vt speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamq́, & cũ Cyclope Charibdim:
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus, ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

NEC SIC INCIPIES.] videtur hic Horatius epici carminis potius, quàm dramatici pręcepta tradere, cum tamen vtriusque generis rationem habeat. Nam & exẽpla personarum, præter Achillem, tragicorum sunt allata. vt Medea ferox, flebilis Inò, perfidus Ixion, Iò vaga, tristis Orestes. Et, cum ait, Rectius Iliacum carmen deducis in actus, vtramque rem voluit indicare. nam Iliacum carmen, epicam rationem significat: deducere in actus, dramaticam. Nam Epicorum personæ non differunt à Tragicis, vt ait Arist. & ab illis poëta tragicus eas

ſuo iure poteſt aſſumere,vt carmen Iliacum, id eſt Homericam perſonam in actus tragicos deducere facilius poſſis,quàm nouam. Illud etiam ſenſum noſtrum adiuuare poteſt,quod Ariſt.inquit: Homerus nō ſolū inſcribendo quid aptum eſſet,& decorūm optimè cuſtodiſſe ſed venuſtiſſimè perſonas agentes induxiſſe.itaque confirmat Odyſſeam,& Iliada proportione tragœdiæ ſimiles eſſe.Quare miror cur Donatus ſcripſeritHom.Odyſſeam ad imaginem comœdiæ feciſſe . quod & rerum,& perſonarum conditione,& Ariſt.auctoritate falſum eſt. Cum monet tamen ne SIC INCIPIAS.] Exordij pręceptū eſt Epici poëmatis . Non enim Tragici eſt ita proponere,ſed Epici.Nam prologus tragici, quæ prima pars eſt tragœdię,vſque ad πάροδον chori,longa conſtat oratione.Diximus autem à principio nonnūnquam aliquid Hor.attingere,quod ad heroicum poëma ſpectet. vt hic facit. quamquam hæc aliquo modo cum tragico poſſunt communicari. Neque enim hic tumidus eſſe debet in principio fabulæ, neque altius incipere, quàm præſens negotium requirat: Sunt enim hæc vitia communia,nemo igitur maiora ſe dictur ū profiteri debet, quàm præſtare queat.Ne,

Parturiant montes, naſcatur ridiculus mus.

quod prouerbialiter ex apologo Aeſopi dixit, vt ait Porphyrio cum enim ruſticis mons intumeſcere videretur, timere cœperunt, ne quem is gigantem pariturus eſſet.quare armati locum omnem obſeruabāt, vt ſtatim quicquid oriretur,occiderent.Cum itaque intētis animis expectarēt, ecce tibi murem proſilire vidēt, rem ſcilicet viliſſimam,& contra omnem expectationē. quare cum riſu abiere. Tachus rex Aegyptiorū in Ageſilaum hoc prouerbio iocatus eſſe dicitur. Cui Ageſilaus reſpondit fore,vt ſe Leonem oſtenderet. TANTO HIATV.] Cum ſimilitudine montis vſurus eſſet, qui editurus partus vidębatur hiatu, hāc vocem vſurpauit: hiſcere

hiſcere enim terra dicitur cum diſcedit, & aperitur. DIC MIHI MVSA VIRVM.] In hac tranſlatione omiſſa ſunt hęc verba, πολύτροπον ὅς μάλα πολλὰ πλάγχθη. quia fortaſſe in his verbis ea continentur. Qui mores hominum multorum vidit, et vrbes. Nemo enim poteſt multas vrbes nouiſſe, nec multorum hominum naturas quin πολύτροπος eſſet. Quod tamen non omiſit in Epiſtolis vbi ſic ait:

Qui domitor Troiæ multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inſpexit.

Quam quidem rationem ſequitur ſępe Virg. cum videt per ea, quæ dicuntur, intelligi quæ ſunt omiſſa. quamuis ab Homero ſint expreſſa. vt in ea fortuna, quæ eſt in primo Aen. vbi de obſcuro mortis genere, & ignobili cō queritur Aeneas his verbis. O Terq; quaterque beati, Quis ànte ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis Contigit oppetere. O Danaum fortiſsime gentis Tydide, & reliqua. vbi omiſſum eſt hoc. τῷ κ' ἔλαχον κτερέων καί μευ κλέος ἦγον ἀχαιοὶ. νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι. nam quæ alia doloris huius cauſa eſſe potuit. & quòd illos proceres beatos eſſe duceret, niſi quòd illi præclaras mortes oppetiſſent, & meritos honores conſecuti eſſent, nec in medijs fluctibus obruti, & inglorij laterent? vt ipſe de ſe timebat: cum enim vir fortis intelligat ſe neceſſitate naturæ moriturum, nihil eſt maius in optatis eius, quàm vt perquàm honeſtè moriatur. Cum verò ex ijs, quæ dixerat Aeneas, hæc facile quiuis intelligat, non putauit Maro noſter eſſe neceſſaria. MORES HOMINVM.] νόον dixit Homerus: mens enim & ingenium hominis per mores cognoſcuntur. Et è conuerſo, qui naturam, & mētem hominum cognoſcit, mores eorundē videt. NON FVMVM EX FVLGORE] Apta ſimilitudine oſtendit quid eueniat ijs, qui de ſe nimiam expectationem mouent: Cum enim tueri eam non poſſint. ridiculi ſunt omnibus: qui verò ſibi tempe

rant in principijs,hi plura præſtant, quàm ſint profeſſi, & ſplendidores exiſtunt:Promunt enim ſpecioſa. MIRACVLA.] Vt Scylla fuit, & Charybdis cũ Cyclope. NEC REDITVM.] Nec ab vltima origine ſumit principium poëmatis.Ariſt.in Poëticis inquit. μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν ἄρχεσθαι: μήθ' ὅπου ἔτυχον τελευτᾶν licet. quod quidem præceptum ad vtrunque genus, & epicum,& dramaticum accommodatur,& denique ad cuiuſuis rei narrationem. SEMPER AD EVENTVM FESTINAT] breuiſsima eſt hiſtoria Odyſſeæ,vt oſtendit Ariſto. verum longiſsima intercedunt Epiſodia,vt idem teſtatur, & re ipſa comprobatur. Cum verò eſſet Vlyſſes apud Alcinoum videbatur naui parata, delectis remigibus, ſemper ſtatim diſceſſurus: & tamen in cœna tam multiplices tam longos expoſuit errores, vt auditores ſpe ſemper exitum rei videndi, teneret attentos. ET IN MEDIAS RES AVDITOREM RAPIT] Omiſsis principijs rerum,perinde ac notæ eſſent,medias expoſuit in vtroque poëmate,quem Maro noſter eſt imitatus. ET QVAE DESPERAT] Veriſimile eſt multa fuiſſe in vera hiſtoria,quæ ab Homero ſunt omiſſa,cum lucem eis,quam vellet,non poſſet afferre cuiusmodi eſt illud, Cupiens Achilles iniuriam vlciſci, quòd Briſeis erepta ſibi fuiſſet,armatus cum ſuis incautũ Agamemnonem.& alios fortaſſe voluit opprimere. Verum Vlyſſes re cognita,excitauit omnes proceres:quod animaduertens Achilles in ſua caſtra ſe recepit.hoc totum ſilentio præterijt Homerus:Quo enim pacto ſplendorẽ vllũ ea res potuiſſet accipere?habẽt enim boni poëtæ diligẽtiſſimũ rerum delectum,atque hoc amãt,hoc ſpernunt. PRIMO NE MEDIVM.] Hic non eam mentiendi rationem intelligit Hor.quam dicit Ariſt.docuiſſe per paralogiſmum. Sed quia poëta fingit:non enim eſt hiſtoricus,& miſcet mendacia cum veris : ita tamen vt inter ſe omnia maxime cohæreant. Quis neget illud bellum

ad Troiam esse gestum ? at cum veritate historiæ coniuncta sunt infinita mendacia, quæ nihil perturbant. Quid verò Xenophon in Pædia Cyri ? quàm multa est mentitus ? cum nihil tamen concinnius esse videatur.

Tu quid ego,& populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulæa manentis,& vsque
Sessuri, donec cantor, vos plaudite dicat:
AEtatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus,& annis,
Reddere qui voces iam scit puer,& pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere:& iram
Colligit, ac ponit temere,& mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem custode remoto
Gaudet equis, canibusq;,& aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq;,& amata relinquere pernix.
Conuersis studijs ætas animusq; virilis
Quærit opes,& amicitias, inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incommoda: vel quòd
Quærit,& inuentis miser abstinet, ac timet vti:
Vel quòd res omneis timidè gelidéq; ministrat,
Dilator, spe longus, iners, auidusq; futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorq; minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum.

Multa recedentes adimunt. ne fortè seniles
Mandentur iuueni partes, pueroq; viriles:
Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis,

TV QVID EGO.] quæ ἁρμόττοντα vocat Arist. ea magnopere seruanda sunt poetis. Quid enim deformius esse potest, quàm si partes seniles iuueni mandentur, pueroque viriles? huic autem prudentiæ tantum tribuit Horat. vt spectatorem permansurum esse dicat vsque ad finem fabulæ, in qua ætatis cuiusque habeatur ratio decori; vt vere morata dici posit. Quam enim Oratores moratam vocant orationē, ea est, qua dicentis ipsius potissimum, & eorum, pro quibus dicitur, mores exprimuntur. quæ quidem res multum valet ad gratiam conciliandam: de qua re multa Cic. in. II. de Orat. Quint. in VI. cap. de Diuisione affectuū. Arist. in. II. Rhetor. Herm. in secundo περὶ γοργότητος. at morata fabula diuersam rationem habet ab oratione morata: hæc enim gratiā, & beneuolētiam lenitate vocis, significatione pudoris, verborum comitate parit. Illa verò reddere personę scit conuenientia cuique, vt antea fortunæ, studijs, nationibus, patriæ, & vt paulopost, officijs, quæ sunt consentanea tribuenda monet Hor. AVLAEA MANENTIS.] Non vt quater obducerentur aulæa: nullū enim est hic verbum, ex quo hic numerus eliciatur: nec unquam tollebantur, nisi in fine, quem per aulæa nunc intelligit, ac ne dubitemus, ipse est interpres sententiæ suæ. cum ait,

Et usque.
Sessuri donec cantor vos plaudite dicat.

quod in fine fabulæ consueuisse fieri quis dubitat? declarat M. Tul. in oratione pro Cœlio, Mimi est etiam, inquit, exitus, non fabulæ. in quo cum clausula non inuenitur, fugit aliquis è manibus, deinde scabella concrepant, aulæum tollitur. non aufertur, nec remouetur aulæum, sed explicatur, & eleuatur, vt oppositum spectato

ribus obcludat ſcenam. Nam antea dum agebantur vel mimi,vel fabulæ, ſtrata iacebant in terra. quod in Epi. ad Auguſtum apparet ex his verſibus.

Quatuor,aut plures aulæa præmuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turbę peditumque cateruæ.

Neque ſcena tragœdię erat vnquam vacua,nam chorus inter medios actus canebat:nec interim aulæa tollebantur,vt ibidem oſtenditur his verbis.

Dum populus media inter carmina poſcit.
Aut vrſum,aut pugiles,& relicta fabula,ludos
Spectat,& interea aulæa ſtrata premuntur.

in quatuor horas,cum nihil ageretur in ſcena. quare vt in mimis in fine, ſic in fabulis, vbi plaudite dictũ eſſet, tollebantur aulæa. GESTIT PARIBVS COLLVDERE.] Nulla eſt ætas, quæ non æqualibus ſuis delectetur,atque in proprijs ſtudijs verſetur.Puer igitur colludere geſtit. quid enim aliud ætas tam infirma nouit? adoleſcentes autem,quibus natura vt ait M.Tul.cupiditates profundit,& ob id ἐπιθυμητικοὺς Ariſtot. appellat, non ſatis compotes conſilij,rapiuntur ad voluptates,ac vbi liberioris vitæ facta eſt eis poteſtas, hæc ſtudia ſumma cum inconſtantia ſequuntur. CEREVS.] Idem ad Auguſtum. Ac neque ficto.

In peius vultu proponi cereus vſquam,
Nec prauè factis decorari verſibus opto.

MONITORIBVS ASPER.] Magno ſunt enim animo præditi adoleſcentes, vt inquit, in.II. Rhet. Ariſt. atque putant ſe omnia poſſe conſequi, vt magnanimi viri, ſed hi iudicio, & virtute nixi, illi temeritate quadam inflati. Quare ſe reprehendi permoleſtè ferunt cum præſertim ea ætas θυμώδης ſit natura. VTILIVM TARDVS PROVISOR.] Sunt enim εὐέλπιδες ſpei ſcilicet pleni,nec putant ſibi quicquam defuturum.hinc etiam fit,vt prodigi fiant. SVBLIMIS.] εὔψυχος. AMATA.] ἀντίθετον eſt. & ἀψίκορος quid ſit

apud Arist.hic Hor.expressit. Sed rationem ille tradit: ὀξεῖαι γὰρ αἱ βουλήσεις, καὶ οὐ μεγάλαι. ὥσπερ τῶν καμνόντων δίψαι, καὶ πεῖναι: acutæ sunt enim & subitæ illorum cupiditates, ac vt cito veniunt, quasi furore quodam percitæ, ita cito restinguntur. Iure igitur εὐμετάβολοι dicuntur. CONVERSIS STVDIIS.] De maturiore loquitur ætate, quæ media est inter adolescentiam, & senectutẽ, ac inter extrema vtriusque vitia versatur, vt quæ nec infirmitate laboret adolescentium: nec imbecillitate senum. non igitur contraria est adolescentiæ, vt senectus. Arist. autem, vt contraria contrarijs opponeret, statim moribus adolescentum expositis, de natura senili tractare cœpit. Hor. vero mediam iuuentutem interposuit, ac eius studia adolescentum studijs opposuit. Sed alia sunt, quibus ab adolescentia inuentus, alia quibus discrepet senectus. Sed hic contraria iuuentutis studia, mox senectutis recensebo. quærit igitur opes inquit hæc ætas; illa æris est prodiga. hæc seruit honori: illa monitoribus aspera. hæc commisisse cauet, quod mox mutare laboret: illa cupida, & amata relinquere pernix. MVLTA SENEM] μικρόψυχος est senex. quo fit, vt auaritia semper laboret, & timiditate: nam refrixit iam sanguis, & vigor quasi extinctus est, vnde recte. Rem timide, gelideq; ministrat. Metus enim est res quædam frigida. Deinde rerum experientia parcum & auidum reddit: Nouit enim quanta cum difficultate res fiat, & augeatur. quàm rari successus: quàm facile vel decipiamur ab alijs, vel offendamus ipsi & per imprudentiam labamur. atque aliæ huius generis causæ sunt in promptu, cur senex hæc incommoda patiatur. VEL QVOD QVAERIT] Lucro intentus est, nec audet parto frui: raro fit enim vt qui rem faciat fruatur ea. DILATOR SPE LONGVS, INERS.] Differt omnia. spem incho at longam, iners ad agendum, AVIDVSQVE FVTVRI.] φιλόζωος. nec mirum; desiderium est enim rerum

abſentium. Et quia ſenex abeſt à longa vita, illam deſiderat, DIFFICILIS.] Moroſus, ſuſpicioſus, omnia in malam partem accipiens. QVERVLVS.] ὀδυρτικὸς triſtis, & ab omni cupiditate alienus. LAVDATOR TEMPORIS ACTI.] ſenile eſt, inquit Mar. Tul. conceditur q; ſenibus vt de ſe dicant: memoria enim ſenes potius, quàm ſpe ſuſtentantur. nam longa eſt antè acta vita, breuis admodum futura, quo fit, vt lætentur præteritis temporibus, & ea laudent. atque hæc ratio eſt Ariſt. quam Hor. ſequi non videtur, cum ſpe longus dixerit. ac in eo eſt eidē contrarius, quòd ille δυσέλπιδας διὰ τὴν ἐμπειρίαν eſſe putat. Hic oſtendit oblitos ætatis ſuæ ſibi ſpem longi tēporis proponere: CENSOR, CASTIGATORQVE MINORVM] Omnes fere in ſene qualitates contrariæ ſunt iuniorum qualitatibus, vt quibus etiam ſenes ab adoleſcentibus differant, dicamus: Gelidus eſt enim ſanguis in ſene: feruet in iuuene: effœtæ ſunt illius vires, huius vigēt: ille triſtis, hic lętus:
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,
Multa recedentes adimunt
Ex Ariſt. vero in ſecundo Rhet. multo plura colligi poſſent huiusmodi. Quare mirandum non eſt, ſi ſenum triſtis natura ferre non poteſt lætam adoleſcentiam, NE FORTE SENILES] Hic eſt finis huius diligentiæ: ignoratis enim ſtudijs, & moribus ætatum, fient inæquabiles hæ varietates, vt mandentur iuueni partes ſeniles, pueroq; viriles. SEMPER IN ADIVNCTIS] quæ nam ſint æuo adiuncta ipſe interpretatur, id eſt apta: ea enim ſunt apta puero, quæ ſunt expoſita, vt geſtiat paribus colludere, & reliqua. Sic cæteris ætatibus, à quibus poëta recedere nō debet, ſi velit imitari naturā.

Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus: & quæ

Ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
Digna geri, promes in scenam: multaq; tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreus
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

AVT AGITVR RES.] Hic de partibus tragœdię; non tamen prologum intelligo, aut episodium, aut exodum aut choricum, quæ sunt fabulæ membra. Sed quæ aut aguntur, vt spectentur, aut referuntur in scena, tum de actuum & personarum actus cuiusque numero, de locis inducendi minimis, de officio chori, & vnde, & quæ incremẽta sint allata, tum melodiæ tum ὄψεως. Tota igitur fabula in ea diuisa est, quæ spectantur; & in ea, quæ referuntur. quæ autem referrenda sint, ipse perspicuis exemplis ostendit. ex quibus facile intelligimus quænam imitatione verisimili possint agi. SEGNIVS IRRITANT ANIMOS DEMISSA.] quod ab alijs opponi poterat, ipse sibi opponit, & soluit. Cum enim tragœdia affectum misericordiæ mouere, & terrorem afferre debeat, quid est, cur ex oculis ea remoueas, quæ id maxime posſint efficere? quia eorum imitatio verisimilis esse non potest. quare quodcunque, inquit, ostendis mihi sic incredulus odi. SEGNIVS IRRITANT ANIMOS] Acerrimum putat M. Tullius in II de Orat. à Simonide cogitatum esse sensum oculorum. Et in Ep. ad Torquatum inquit. Tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur nec auertere cogitationem sinunt à miserijs. Sophocles in Oedipod. Tyranno. Quę in rebus gestis tristiſsima sunt abesse, inquit, quando remota sunt ab oculis. Eius verba

sunt

sunt hæc. τῶν δὲ πραχθέντων τὰ μὲν ἄλγιστα πηγαίνει γὰρ ὅψις οὐ πάρα. OCVLIS FIDELIBVS.] Vere fideles: nullus enim sensus, nisi quid impedimēto sit, certior est, quàm oculorum. ET QVAE IPSE SIBI.] Et quorum est ipse testis, nec ab angelis, aut ex angelis accipit. NON TAMEN INTVS.] quamuis oculus vehementer afficiatur non tamen huiusce rei causa omnia sunt ei subijcieda. QVAE MOX NARRET FACVNDIA PRAESENS.] Narrantur autem aut ante commissa scelera, quæ tamen auctor ignoret esse scelera: & tum demum illa cognoscat, cum primum narrantur in scena. vt cum in Oedipode Sophocleo fit ἀναγνώρισις, aut præsentia, quæ à prudente, & volente in ipso dramate patrantur. vt apud Eurip. Medea narratur filios discerpere. quę coram populo geri neque possunt, neque debent. irridentur enim ab omnibus. Siquis autem conetur, aut cogitet nefaria committere, neque tamen conatus, aut cogitata fiant, ea quoque narrantur. vt apud Eurip. Iphig. Orestem fratrem, nisi cognouisset, mactaturā fuisse. at quæ oculis re ipsa subijci non possunt, ea subijcienda sunt oratione. vt per ὑποτύπωσιν res ita verbis exprimatur vt cerni potius videatur, quàm audiri. vt enim orator narrando aliquid perficit, vt auditor se rei gerendæ putet interesse, & geri eam videre. Sic bonus poëta res ita explicat, atque ita effingit, vt eas se spectare populus arbitretur. Facundiā verò pro eloquētia posuit, vt alibi, Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo: neque enim ea virtus est nisi eloquentis viri, in quo non sit dicēdi tantum copia, sed omnis ornatus, omnis vis, & facultas permouendi. Præsens autem dicitur quod promptum sit, & paratum, vt animus acer, & præsens apud M. Tul. de Or. Et præsentes vires ad nocendum apud eundem ad Att. vel præsens facundia, quoniam cū res ipsa præsens esse, nec spectari possit; oratio præsens est, & quo ad eius fieri potest, facit vt res quoque præ-

ſens eſſe videatur. QVODCVNQVE OSTENDIS.] hæc eſt ea cauſa,cur ex oculis tollenda ſint;cōſtat enim eſſe ficta, neque ſimilia vero eſſe poſſunt, ſi agantur in ſcena,niſi veræ cædes,vt mos fuit Athenis,fierent,quas Aeſchylus ex hominum conſpectu ſuſtulit:

Ne've minor quinto,neu ſit productior actu
Fabula,quæ poſci vult,& ſpectata reponi,
Nec Deus interſit,niſi dignus vindice nodus
Inciderit:nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris partes chorus,officiumq́ virile
Defendat:neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat,& hæreat aptè.
Ille bonis faueatq́,& concilietur amicis:
Et regat iratos,& amet peccare timenteis.
Ille dapes laudet menſæ breuis:ille ſalubrem
Iuſtitiam,legesq́,& apertis otia portis.
Ille tegat commiſſa,deosq́ precetur,& oret.
Ut redeat miſeris,abeat Fortuna ſuperbis.

NEC DEVS INTERSIT.] Niſi res eò deducta ſit,vt humana ratione ſeruari,aut expediri nequeat,ad opem diuinam confugiendum non eſt. Sin verò ſupra hominem videatur eſſe,diuino tunc vtamur auxilio. Virg.in II.Aen.cum in regia Priami eſſet Aeneas, & iā ab omnibus deſtitutus, & vndiq; ab igni, & hoſtibus cinctus, vt illinc humana nec ratione, nec virtute poſſet euadere,affuit illi Venus,& ducēte Deo flammas inter,& hoſtes expeditus fuit,dederunt tela locum,flammæque receſſerunt. Et cum eodem ferè tempore idem latentem Helenam vidiſſet,ac eo furore,& ira commotus eſſet,vt à fœminea cæde temperare ſe nequiret, aſtitit illi mani

festa Venus, & dextra prehensum cohibuit. in quo est Homerum imitatus, cum in primo Iliados Achilles ira percitus iam gladium stringeret, vt inuaderet Agamemnoně, quem Pallas similiter prohibuit. neque refert, quòd ille locus de Helena sublatus fuerit à Plocio, et Vario: non enim dubium est, quin Virg. eò deduxerit Aeneam vnde cum decoro expedire eum non potuisset sine diuina ope. Verum hæc in Epicis sunt, veluti agnitiones in tragicis. Sed quoniam hic de tragœdia tractatur, Pallas apud Sophoclě Aiaci δυσφόρους ἐπ᾽ ὄμμασι γνώμας iniecit. Quòd nisi fecisset quis à facinore in pecudes illum conuertisset? prohiberi potuisset, fateor, aliqua humana vi ab eo facinore, sed non sæuisset amens in pecudes, qua tum re cognita sibi manus attulit. Et secutum est argumentum tragœdiæ. Vnde præterea id factum sciri potuisset, nisi ipsa Pallas suum beneficium narrasset? Antiqui verò poëtæ tragici cum exitum fabulæ nequirent expedire, aliquem Deum per machinam ligneam solebant inducere. de qua Iul. Pollux lib. IIII, cap. XVIII. vbi de partibus theatri scribit: Sed etiam M. Tul. in primo de Natura Deorum meminit his verbis huius rei: Vt tragici poëtæ cum explicare argumenti exitum non potestis, ad Deum confugitis. quoniam verò hanc exitus fabulæ & solutionis rationem non probat Arist. ausim dicere de solutione, quæ pertinet ad exitũ causæ non hic intelligendum esse. Verum de locis, cuiusmodi superius ostendimus ex Soph. quos cum videret vsitatos, non modo non accusat Ari. sed vtendam esse machinam in huiusmodi locis monet, quando sic ait, ἀλλὰ μηχανῇ χρηστέον ἐπὶ τὰ ἔξω τοῦ δράματος ἢ, ὅσα πρὸ τοῦ ἐγέγονεν: ἃ οὐχ οἷόν τε ἄνθρωπον εἰδέναι, ἢ ὅσα ὕστερον, ἃ δεῖται προαγορεύσεως, καὶ ἀγγελίας, ἅπαντα γὰρ ἀποδίδομεν τοῖς θεοῖς ὁρᾶν. quam reprehendit in solutione fabulæ: non enim poëta existimari potest in eius loci necessitatem per imprudentiam incidere, quem in primis considerare debet, & in

quo vertitur omnis error fabulæ. Et quamquam nihil tam casu fieri debet videri, quàm illa solutio, cum tamen illud caput sit Inuentionis, debet, vt vult Arist. ingeniosus poëta, excogitare modum, quo humanitus, & non diuinitus nodus explicetur. Sed Eustathius in primo Iliados soluit hanc quæstionem. Inquit enim peripetias, quas eò perduxit, vt facilè solui nequeant quinque poëtam modis eas explicare; vel simul omnibus, vel aliquo eorum. Eius autem verba sunt hæc. ὅτι ὁ πηνίκα τὰς τῶν πραγμάτων περιπετείας αὐξήσει πλασματικῶς ὁ ποιητὴς, καὶ ἀλύτως ἔχειν ποιήσει αὐτὰς, ἢ πάνυ δυσλύτως, ὥστε τὸν ἀκροατὴν ἐπαπορεῖν, καὶ λέγειν ὡς οὐκέτι λυθήσεται ἢ τοῦ πράγματος δυσχέρεια, τότε δὴ μηχανᾶται λύσεις καὶ ἄλλας μὲν: μάλιστα δὲ ταύτας ὡς ἐπὶ πολὺ τὰς πέντε, ἢ πάσας ὁμοῦ, ἤ τινας. παρουσίαν θεῶν, ξυναλλαγὴν γερόντων ἀνδρῶν, ἀπειλὴν, πληγὴν, καὶ γέλωτα. vt in secundo Iliados fecit Hom. cum enim exercitus iussu regis ad reditum in patriam ita se pararet, vt contineri posse nullo pacto videretur, Vlysses tamen Palladis consilio cum Nestore proceres monendo, & obiurgando populos, & Thersitem verberando, vt quiescerent, effecit. de his igitur locis Hor. nisi fallor, est locutus. nec offendat quẽquã, quòd hęc ex Epicis sumpserimus: idem enim accidit & Tragicis, NEC QVARTA LOQVI] sunt qui putent Hor. hic voluisse ad πρωταγωνιστὴν, καὶ δευτεραγωνιστὴν καὶ τριταγωνιστὴν raro addi τετραγωνιστὴν, vt per personam intelligat ὑποκριτὴν, qui cum vnus esset à principio, secundum Aeschylus induxit, quibus tertium Sophocles adiunxit, atque hi dicuntur esse, quibus primæ, & secundæ, & tertiæ tribuuntur partes: de quarto verò hypocrita, qui mentionem vnquam fecerit, inuentus est nemo. Et Aristo. affirmat post tertium per Soph. adiunctum accepisse tragœdiam perfectionẽ suam: Quid est igitur, quod cuiquã veniat in mẽtem de illa persona cogitare, de qua nullus vnq̃ poëta cogitarit? nec tamen ausim quidquam affirmare, dicam tamen

quid existimem. cum videam hunc esse morem tragico rum,vt,etiam si in eodem actu quatuor personæ, vel quinque etiam loquantur, non tamen quartam prius inducunt, quàm aliquam ex prioribus amouerint, suspicor hoc Hor. monere, ne plures tribus personas inter se loquentes faciamus in dramate tragico. Quod autem consuetudo sit illorum poëtarum, quam dixi, ostendit Soph. vt in Oed. in Colono: Cum enim Oed. & Antigo ne cum quodam prætereunte loquerentur, ac paulo post interuentura Ismene illis esset, ad vicinos incolas dimissus est peregrinus, qui iudicarent, num Oedipodi liceret illic manere. ac etiam Ismene prius est remota ex scena, quàm Theseus appareret. In secundo verò nondum Theseus processerat, cum Antigone abducta per vim fuerat ex scena. ac eiusmodi multis in locis dili gentiam obseruabis. itaque fit, vt in eodem actu simul in scena personæ tres ad summum loquantur. Sed primum illud moneo in numero personarum chorum nõ esse reponendum, tum quòd contrarius sit vsus apud comicos nihil referre. de tragicis enim non de comicis Horat. NEC LOQVI LABORET.] Non videtur quartam personam penitus excludere, sed ostendit parce loqui eã opportere. si quando vsu veniat vt loqua tur. ACTORIS PARTES] quæ sint officia chori, nunc exponit. Et primum docet eum defendere partes, & officium actoris. nec auctoris legas. nunq̃ enim in dramate tragico partes auctoris chorus defendit. Permittatur hoc Aristoph. non tragicis. Actorem verò per excellentiã hypocritã intelligo, qui primas partes agit, vt Aiax, Orestes, Medea, quorum partes & officia defen di à choro semper videmus, neque hoc exemplis confir mare est necesse. Hunc autem Aristot. πρωταγωνιστὴν ostẽ dit esse, qui, cũ primas obtineat partes, κατ᾽ ἐξοχὴν actor dici debet. NEV QVID MEDIOS.] Non impedit hic Hor. quo minus inter medios actus cantet chorus,

ſed prohibet ne quid alienũ à re propoſita cãtet.Quod autem cantaret chorus,patet auctoritate antiquorum. & teſtatur Ariſt.ſed illud in contentionem venit, num chorus ipſe vnum de ſuo numero ad hoc officium deli geret.dubitatio verò naſcitur ex his verbis Ariſtotelis. καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν, καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ παρ' εὐριπίδῃ, ἀλλ' ὥσπερ παρὰ σοφοκλεῖ. prima verba ſic intelligunt,vt chori ſumma pe nes vnum ex hiſtrionibus tota eſſet.Ego verò non arbi tror Ariſt.ex quindecim numero dicere vnum tantum conſueuiſſe loqui,ſed oſtendere voluiſſe totum chorũ pro vno ex mimis accipiendum eſſe,& eſſe partem totius,& συναγωνίζεσθαι,nam quæ cæteris tribuuntur,pro pria magis ſunt ipſius fabulæ,quàm alterius tragœdiæ, quod hiſce verbis ſequentibus dixit Ariſt. magis eſſe propria ipſius fabulæ,quæ agitur, quàm diuerſæ tragœ diæ,ea ſcribit,quæ alijs tribuũtur.Nam quæ choro ſunt aliena,quod apertius oſtendit cum dicit διὸ ἐμβόλιμα ᾄδουσι: ἐμβόλιμα verò aliena ſunt à materia,& in ea tamen inſerta,quæ à choris cantari ſolent nam ᾄδουσι poëtæ ſcilicet per chorum,aut ipſi chori, quod ab Agathone primum fuit inſtitutum,& nunc ab Ariſt. improbatur nihil enim ait intereſſe an ἐμβόλιμα, an epiſodium totũ canens, an ſermonem alium ex alio cõtexas,quæ vitioſa eſſe in tragœdia confirmat. Vitioſum ergo ducit Ariſt.chorum ea canere,quæ ſunt alterius argumenti, cum habendus ſit veluti ex hiſtrionibns vnus, & alii mimi agant ea,quę propria ſunt pręſentis ὑποθέσεως: omnes igitur perſonæ chori ſimul canebãt,& ſummo vo cum variarum cõcentu loquebãtur.Idque modo vnius numero, cum vnus eſſet chorus, & vnius hiſtrionis vice fungeretur,modo plurium,quod in choro perſonę quindecim continerentur. atque hoc exemplis vbique patet,vt in Antigone.

ἡμῖν μὲν, ὐ μὴ τῷ χρόνῳ κεκλέμμεθα,

λέγειν φρονούντως; ὧν λέγεις δοκεῖς πέρι. Et alibi in eadem.
ἀνὴρ ἄναξ βέβηκε διδυχὰ θεσπίσας.
ἐπιστάμεσθα δ' ἐξότου λευκὴν ἐγὼ.
τήνδ' ἐκ μελαίνης ἀμφιβάλλομαι τρίχα,
μή πώποτ' αὐτὸν ψεῦδος ἐς πόλιν λαβεῖν.
hic videmus chorum in eadem ſententia,& eadem periodo vtroq; numero,dum de ſe loquitur,vſum eſſe : ac idem faciunt,qui chorum alloquuntur , vt modo cum vno,modo cum pluribus loqui videantur . vt in eadem tragœdia, ibidem ferè Creon ita chorum alloquitur ,
τί δῆτα χρὴ δρᾶν φράζε πείσομαι δ' ἐγώ.
Et mox idem cum eodem.
καὶ ταῦτ' ἐπαινεῖς; καὶ δοκεῖς παρεικαθεῖν; Et Euridice
ἀλλ' ὅστις ἦν ὁ μῦθος αὖθις εἴπατε Et apud Aeſchylum Eteocles ita cum choro loquitur.
μὴ νῦν ἐὰν θνήσκοντας ἢ τετρωμένους πύθησθε ἐν κωκυτοῖσιν ἁρπαλίζετε. At innumeri ſunt eiuſmodi loci quos omitto:nã ex his conſtare puto vniuerſum chorum conſueuiſſe loqui atque ita nos Ariſt.hic docet.Sed,vt ad Hor.redeámus,nequaq̃ hoc in loco is reijcit chori cantilenas,niſi quæ propoſito non conducant, & hæreant aptè:in quo mirè conuenit inter illum,& Ariſt.qui Eurip.hoc vitio reprehendit.quia malè vtebatur παραβάσει , quòd more comico inducebat chorum,vt cum populo , quæ vellet, loqueretur, & ſæpe quæ ad ſe pertinerent : à quo vitio ex æmulatione Sophoclem cauiſſe Pollux ait , vbi περὶ χορικῶν ἀσμάτων de tota hac re ita ſcribit lib.IIII.cap. XVI.
τῶν χορικῶν ἀσμάτων, τῶν κωμικῶν, ἔν τι καὶ ἡ παράβασις, ὅταν ἃ ὁ ποιητὴς πρὸς τὸ θέατρον βούληται λέγειν, ὁ χορὸς παρελθὼν λέγει ταῦτα: ἐπιεικῶς δὲ αὐτοὶ ποιοῦσιν οἱ κωμῳδοὶ ποιηταί: τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν. ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν: ἐν μέν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρᾴδειν ἐκλαθόμενος: ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησεν τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις: ὥσπερ ἐν Ἱππῶνι. id eſt choricis canticis , vnum

erat etiam παράβασις, quando, quæ poëta aduersus theatrum dicere vellet, illa prodiens chorus dicit. Hoc autem frequenter faciunt comici poëtæ. Tragicum verò non est: sed Eurip. hoc egit multis in tragœdijs, & in Danaë quidem mulierum chorum fecit pro se loquentem, non animaduertens se oratonis genere mulieres tanq̃ viros faceret loquentes. Soph. verò, quòd cum eo de laude certaret, rarò id egit, vt in Ippone. Ex his quænam sint ἐμβόλιμα, & à quibus cantarentur, & quid prohibeat Arist. arbitror constare. Exempla comicorum ex Aristoph. sumat qui velit: neque enim quæ sunt in promptu, mihi sunt omnia hùc afferẽda. CONCILIETVR.] aut nouum, aut vetustum. apud Eurip. in Hippolyto. Cum enim à Neptuno peteret Theseus, vt Hippolytum filium sibi perderet, atque ita vnum de tribus sibi solueret promissum chorus sic eũ monet. ἄναξ, ἀπέχου ταῦτα πρὸς θεῶν πάλιν: γνώσῃ γὰρ αὖθις ἀμπλακὼν, ἐμοὶ πιθοῦ. ET REGAT IRATOS.] Idem in eodem. καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς παῖς σὸς εἰς καιρὸν πάρα ἱππόλυτος: ὀργῆς δ' ἐξανεὶς κακῆς ἄναξ θησεῦ τὸ λῷστον σοῖσι βούλευσαι δόμοις.

Tibia non, vt nunc, orichalco vincta, tubæq;
Æmula, sed tenuis, simplexq; foramine pauco
Aspirare, & abesse choris erat vtilis: atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.
Quò sanè populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, castusq; verecundusq; coibat.
Postquàm cœpit agros extendere victor, & vrbem
Latior amplecti murus, vinoq; diurno
Placari Genius festis impunè diebus
Accessit numerisq; modisq; licentia maior,
Indoctus quidenim saperet, liberq; laborum,

Rusticus

Rusticus vrbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumq;, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq; vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces creuere seueris:
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps:
Vtiliumq; sagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

TIBIA NON VT NVNC.] De accessione melodię, & aliarum rerum ad Tragœdiã pertinẽtium, & præsertim apparatus. Omnis imitatio poëtarum aut ῥυθμῷ, aut λόγῳ, aut ἁρμονίᾳ fiebat, id est aut numero, aut sermone aut harmonia. Sed horum alij vno, alij duobus, tragœdia verò omnibus. Cum enim ea histriones habeat, saltatores, & tibicines: omnes hi, suis tamen quique locis, separatim imitantur. Nam histriones sermone, saltatores numero, tibicines numero & harmonia id faciunt. De locis autẽ theatri, & scena per multa Pollux. Tibia igitur instrumentum musices adhibebatur in tragœdia, & comœdia: sed pro rerum diuersitate sonus variabatur: in tragœdia enim poëtæ Dorium cum Lydio miscuerunt: erat enim Dorium magnificum, & bellicosum: ex quo Plato, reiectis alijs, hoc in sua ciuitate statuit vtendum. Lydium verò aptum erat ad luctũ. Cum autẽ in tragœdia illustres personę, & heroicę versentur, cumque res agantur tristes, miscuerunt Dorium cum Lydio, vt & personis, & rebus musica illa conueniret. Inuentorem cuius Pythoclidem fuisse volunt. Sed, ne multis; lege Plut. de Musica, inuenies multo plura. At natura lenioribus principijs omnia prætexit, vnde initio per exigua fuerunt omnia in scenis & fabulis, quæ in dies ampliora facta sunt, donec ad summum peruenerunt. non igitur tibia orichalco iuncta, magnitudine

ſua, & ſono priſcis temporibus tubæ fuit æmula, nec orichalci ſplendebat ornamentis. Orichalcum verò metallum eſſe volunt, quod in montibus naſcatur. ære omnino præcioſius erat, ſi modo erat, nam Ariſt. id metalli genus vnquam fuiſſe negat. Sed cum id Greci ὀρείχαλκον ſcribant errant Latini, qui aurichalcum nominant.

FORAMINE PAVCO.] Figura eſt in numero: pro plurali enim vſus eſt ſingulari. quatuor verò foramina tum erãt vt Pollux ait: τέτταρα, inquit τρυπήματα εἶχεν ὁ αὐλός: πολύτρητον δ' αὐτὸν ἐποίησε Διόδωρος ὁ θηβαῖος, πλαγίας ἀνοίξας τῷ πνεύματι τὰς ὁδούς. Diodorus igitur Thebanus addidit tibijs plura foramina aperiẽs flatibus obliquas vias.

ASPIRARE, ET ADESSE CHORIS ERAT VTILIS.] Vtilis, idonea, & ſatis erat ad aſpirandum, & fauendum choris, qui longè melius ad ſonum tibiarum tanquam ducem præeuntem canere videbantur. aſpirare fauere eſt. vt di cœptis aſpirate meis apud Ouid.

NONDVM SPISSA SATIS.] Hæc eſt ratio, cur flãtu ſedilia parua tibia complere poſſet: erant enim pauca. Contra verò in Epiſt.

Spiſſis indigna theatris
Scripta pudet recitare.

QVO SANE POPVLVS NVMERABILIS.] Interpretatur cur dixerit, nõdum ſpiſſa nimis ſedilia. QVO SANE POPVLVS FRVGI.] Non eſt hoc in loco populi vlla diuiſio, vt partem aliam fuiſſe frugi, & integrã, aliam verò mollem, & corruptam intelligit Hor. ſed populum vniuerſum, modeſtum, & pudentem, vt ea tempora ferebant, & talem ait coire ſolitum in anguſtum theatrum, cum ipſe populus totus eſſet paruus: neque enim fabulas ſpectare boni vnquam refugerunt, præter grauiſſimos quoſdã viros, qui colligendi ſui cauſa, quandoque ſecedebãt: nam vt à Romanis exemplum ſumas, non'ne ſenatores, in cauea, & equites proprijs gradibus ſpectabãt? ſimiliter Athenis. at quis auſit negare etiã

leuiorum,& improborum hominum multos à ſpectacu lis nonnunquam alienos animos habuiſſe? an ita putat quiſquam vllis tẽporibus accidiſſe, vt ad vnum omnes in cauea ſpectarent? intellige igitur populum pro maiore parte populi,quæ pro optima temporum natura in nocens,& religioſa erat,& ſpectaculis oblectabatur. ac rebus ipſis capiebatur potius,quàm apparatus magnifi centia,& ſuauitate cantus.

AT POSTQVAM COEPIT AGROS EXTENDERE VICTOR, ET VRBEM LATIOR AMPLECTI MVRVS.] Id eſt poſtquam fines imperij propagare cœpit,& finitimos populos primum,deinde remotos etiam parere ſibi coëgit, & cum iam populus vix eſſet numerabilis,vinoque diurno, & paſſim genium placaret, feſtis diebus, vt non amplius totus eſſet frugi vel caſtus,vel verecundus.

ACCESSIT NVMERISQVE MODISQVE LICENTIA MAIOR.] Loquitur de eodem populo, ſed aucto & magna ex parte mutato. Quod oſtendit. cum dicit.

Indoctus quid enim ſaperet,libérque laborum
Ruſticus vrbano confuſus turpis honeſto?

Cum igitur iam non item eſſet populi ſimplex, & pura natura,quærenda fuit ratio, vt qui rerum grauitate, & virtutibus fabularum ob imperitiam capi non poterant,hi ſaltem apparatus ſplendore,& ſuaui melodia,& molli ſaltatione tenerentur. Vnde,Priſcæ, motumque & luxuriam addidit arti

Tibicen,traxitque vagus per pulpita veſtem.
Sic etiam fidibus voces creuere ſeueris. & cætera.

Quorum nihil eſt omnino,quod quis, niſi delyret, ad Romanos referre poſsit: neque enim paruus populus Romanus poſt Punica bella fuit: neque tum cœpit agros extẽdere,nec vrbem latiore muro cingere,neque tibiæ foramina, vel fides citharæ quiſquam Romanus addidit,nec ſyrma inuenit. neque tulit eloquium, ne-

que graues ſententias, nec denique verbum eſt vllum in his verſibus,quod ad Romanam rationem poſsit ac commodari.Nam hic Hor.de palliatis fabulis, nequaquam de togatis loquitur: has enim vno tantũ loco attigit dicens. Nil intentatũ noſtri liquere poëtæ.& quæ ſequuntur. Atqui quãdo tandem Latini Græcos legere cœperunt ? non'ne capta Græcia ? non'ne tum primum artes illatę ſunt agreſti Latio? non'ne ſerus Rom. non'ne poſt Punica bella quietus quærere cœpit.
Quid Sophocles, & Theſpis,& Aeſchylus vtile ferret?
Et rem tentauit ſi dignè vertere poſſet?
Tentaſſe dicit Rom.an vertere poſſet,ergo Grçcos non imitabantur modo,ſed etiam Latinos faciebant. quid ergo?fabulas ipſas,& omnes earum partes,& rationem totam ſequebantur Rom.vt perfecta omnia,Tibias verò, & Citharas,quales illi habebant,refutarunt. & calamos,ſi Dis placet, aut fiſtulas agreſtes in ſcenam illi primum attulerunt? nam quid addere potuerunt Romani quod à Græcis eſſet omiſſum ? vel quæ'nam gens eſt, q uæ ab alijs inuenta non acceperit? Et quæ ipſa inuenerit,non omnibus cõmunicarit?Vnus PiſeusTyrrhenus æneam tubam dedit omnibus. Vſum equorum Bellerophon.Quid multa?lege Plinium lib.VII.cap.LVI. innumera cum his inuenies exempla,& ea ipſa,quæ propria ſunt huius quæſtionis. Nam fiſtulam Panos inuentum eſſe diſces.Monaulum Mercurij, obliquam tibiam Midæ,geminas Marſyæ. Cytharam Amphionis , aut Orphei, aut Lini.at hæc à Latinis aucta ſunt,& perfecta,nihil minus,vel Latinis teſtibus. nam vt idem ſcribit ſeptem chordis vſus eſt Terpander,octauã Simonides addidit,non ĩ Timotheus. Cithara ſine voce cecinit Thamyras primus,cum cantu Amphion, vt alij Linus. Cithara edita carmina cõpoſuit Terpander,cum tibijs canere voce Troëzenus Dardanus inſtituit. Quis autem πολύτρητον fecerit tibiam, ex Polluce retulimus. Quis

igitur tam impudens Latinus erit,qui sibi quidquã ho rum arroget?aut quis tam ingratus, qui à Græcis hæc omnia se neget accepisse?sed redeamus ad paruum populum,& frugi,& castum,& verecundum,& videamus an hæc populo Romano tribui posśint. Si iam inde à principio huius imperij naturam populi Romani con sideremus,fatendum erit,in illa colluuie Romuli nihil horum esse potuisse,nisi forte quis velit ad Asylum innocentes,& sanctos viros confugisse. aut Latinos eos, & Albanos,qui relicta patria, cum pastoribus misti ad nouæ vrbis condendæ spem se contulerunt, honestos domi suæ,& probos fuisse cogitemus.at postea religione Numæ,& aliorum regum optima disciplina frugi fu it,& verecundus populus,quis neget? at idem magnus quoque fuit,& numerosus. nam condito lustro à Seruio Tul. LXXX. milia ciuium censa fuisse legimus. quid existimemus annis post amplius ducentis? cum Liuius Andronicus primus omnium fabulam docuit? Quare dum paruus fuit pop.Romanus,neque frugi,neque uerecundus esse potuit.dum verò castus, & verecundus, non fuisse paruum constat. non igitur de Rom. Pop. hęc dicta sunt. Et multo minus dici potuerunt post Pu nica bella,quãdo ipsiusHor.testimonio,Gręcis Romanus admouit acumina chartis.at quãdo latior amplecti murus cœpit vrbem Rom?Quãdo Sabini Capitolium, Albani Cælium,Latini Auentinum collem impleuerũt ac etiam multo latior, quando Ser. Tullius Quirinalé Viminalem,& Exquilias mœnibus est cõplexus. Quau do fabulæ nomen apud Rom.fortasse notum non erat, nedum agi consueuisset:at Hor. ostendit agi fabulas so litas fuisse,antequam populus,& ciuitas ipsa cresceret, & antequam ager extenderetur. Nos verò hæc omnia multo antè facta esse Romæ ex vera historia cognoscimus. Quare concludi necesse est Hor.aut de Vrbe Roma,aut de Pop.Rom.aut denique de Latinis,nec intel-

lexiſſe,nec intelligere potuiſſe.Sed redeamus vnde digreſsi ſumus. VINOQVE DIVRNO.] non igitur frugi Pop.ita cum morum licentia, tibiarum quoque licentia,& canticorum creuit, nec aliter fieri potuit,indoctus quid enim ſaperet?vbi nec ruſticus ab vrbano, nec turpis ab honeſto diſcretus erat?qua nam grauitate rei,qua poëtarum ſapientia teneri potuiſſet?declarat Hor.in Ep. ad Auguſtum quid poſsit in Scena vulgus imperitum,cum dicit.

Sæpe etiam audacem fugat hoc,terrentque poëtam,
Quod numero plures,virtute,& honore minores,
Indocti,ſtolidiq; & depugnare parati,
Si diſcordet eques,media inter carmina poſcunt,
Aut vrſum,aut pugiles,his nam plebecula gaudet.

Et quæ ſequuntur.fuit igitur illecebris,& grata nouitate morandus. SEVERIS FIDIBVS.] Ob res ſeueras, quas numero, & harmonia citharœdus imitatur. Citharæ ſeptimam cordam Terpander,octauam Simonides,nonam Timotheus adiũxit. Plin.lib.VII.cap.LVI. Plut.νήτην tribuit Terpandro. ET TVLIT ELOQVIVM.] Aeſchylus primus lucem attulit tragœdiæ. notiſſimus eſt ille locus in decimo Inſtitutionum Quintiliani: Vbi etiam multo clarius illud opus illuſtratum ab Eurip. & Soph. fuiſſe traditur. FACVNDIA PRAECEPS.] Oſtendit celeritatem facti: vt enim ab Aeſchylo cœpit in lucem prodire, ſtatim exceperunt eam Sophocles & Euripides & ſumma eloquentia coluere. Vel præceps. Quod rerum, & verborum magna copia comparata vir in dicendo quoque exercitatus magna cum celeritate dicit, ſed prior ſententia melior. VTILIVMQVE SAGAX.] Bene dicere nemo poteſt, vt ait.M. Tullius de Claris Or. niſi qui prudenter intelligit. Quare, qui veræ eloquentiæ dat operam, dat prudentię.ad verborum igitur copiam, & ornatum ſententiarum grauitas fuit adiungenda, ne grauiſsimorum

verborum,& optimorum ſonus inanis eſſet. DIVINA FVTVRI.] Laudatur mira tragicorum prudentia,qua tanquam Apollines proſpiciunt, & prædicunt futura. Quis crebrior ſententijs Euripide? Quis grauior vel illo,vel Sophocle?

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudauit,& aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit:eò quòd
Illecebris erat & grata nouitate morandus
Spectator, functusq́; ſacris,& potus,& exlex
Verum ita riſores,ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo?
Ne,quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper,& oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas:
Aut dum vitat humum.nubeis,& inania captet
Effutire leueis indigna tragœdia verſus:
Vt feſtis matrona moueri iuſſa diebus,
Interit Satyris paulum pudibunda proteruis.
Non ego inornata,& dominantia nomina ſolum,
Verbaq; Piſones Satyrorum ſcriptor amabo:
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit Dauus ne loquatur,an audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum:
An cuſtos famulusq́; dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen ſequar,vt ſibi quiuis
Speret idem:ſudet multum,fruſtraq́; laboret

Ausus idem: tantum series, iuncturaq; pollet.
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

CARMINE QVI TRAGICO.] Multa hic Horat. de Satyris, ac si essent in magno vsu: neque tamen vllus extat tragicus poëta, apud quem Satyros fuisse coniectura saltem videamus. Quin etiam Arist. reiectos eos ostendit cum dicit, ἔτι δὲ τὸ μέγεθος ἐκ μικρῶν μύθων, καὶ λέξεως γελοίας διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνώθη. id est præterea magnitudo ex paruis fabulis, & ex oratione ridicula, quòd à re Satyrica recessit, sero est ad perfectionē perducta. atque apertius ex sequentibus constat Sophoclem & Euripidem, & ante hos Aeschylum Satyros reiecisse: quod tetrametrum, quo Satyrorum causa prius vtebantur, in Iambum commutarunt; quo, veluti proprio, vtuntur tragici poëtæ. inquit enim Arist. τό τε μέτρον ἐκ τετραμέτρου ἰαμβεῖον ἐγένετο. τὸ μὲν γὰρ πρῶτον τετραμέτρῳ ἐχρῶντο διὰ τὸ σατυρικὴν, καὶ ὀρχηστικωτέραν εἶναι τὴν ποίησιν. Cum igitur eodem teste Horatio,

Hunc socci pedem ceperint, grandesque cothurni,

Non video, neque cur hic tam multa de Satyris præcipiat, neque cur existimet quisquam in Sophoclis, Euripidisque tragœdias insertos eos vnquã fuisse. cum præsertim ijs, si rem recte consideres, ne locus quidem in illis trag. esse possit. nisi forte vel ante choros, vel post, inter actus medios collocemus. Sed est falsum; vel mendax Arist. nam si certum, & seiunctum Satyri locum aliquem habuissent, tetrametrum, quod ad illos carmen erat accommodatum, non in Iambum conuersum fuisset, sed cum ipsis Satyris reiectum. Sed agentibus illis, & colloquentibus cum cæteris inductis personis, tetrametrum erat confusum in omni sermone, & propterea, sublatis Satyris, tetrametrum in iambum qui aptior est versus ad res agendas, commutatum est. Quare tragici, quos hodie legimus, à Satyris prorsus abstinuerunt. ac

si ex

si ex Satyrico, ait Arist. mutatam tragœdiam in sua perfectione constitisse, quos intelligit tandem eam à Satyris vindicasse? Aeschylum, credo, Sophoclem, Euripidem, & huius generis poëtas. Et tamen vehementer me perturbat Horat. dum ita de ijs loquitur, vt si essent infrequẽti vsu, nec tragici poëtæ vnquam eos reiecissent. vt necessarium sit alterutrum errare vel Hora. vel Arist. Ego verò, vt vtrunque tueri nequeo, ita neutrum damnare audeo. Illud tamẽ dissimulari nõ potest, Græcorum poëtarum vsum, quos habemus, facere cum Aristotele. Sed alij viderint. Cur autem in scenam Satyros induxerint, satis aperte Poëta noster exposuit. Qui nam illi fuerint, nemo est, qui nesciat: in festis enim saltationibus comites erant Dionysij. Eorum verò nomina hæc erant. Satyros πολιός: Satyros γενειῶν: σάτυρος ἀγένειος: σιληνὸς πάππος. dicti autem sunt ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι, quòd rictum vt canes, rugent, & contrahant in risu. ET ASPER INCOLVMI GRAVITATE IOCVM TENTAVIT] Vt nec ad humilitatem comicam descenderet, nec ad tragicam maiestatem insurgeret. OBSCVRAS TABERNAS.] Erant comœdiæ tabernariæ Latinæ Græcis comœdijs similes, ita dictæ, quòd humiles personas haberent. AVT DVM VITAT HVMVM.] Inter comicam, & tragicam interiecta esse debet oratio Satyrorum. Et cauere, ne aut humi serpat, dum à maiestate tragica refugit: aut, dum comicam humilitatem reformidat, intumescat. EFFVTIRE LEVES.] Sic alibi: Versibus exponi tragicis & cætera. & M. Tul. de Optimo genere dicendi: Et in tragœdia inquit comicum vitiosum est, & in comœdia turpe tragicum. quæ verba ad orationem etiam non solum ad res possunt referri. Dubium non est, quin sententiæ, & verba cum re ipsa cõsentire, & conuenire debeant. Quam quidem curam qui non habeant, non video quid sit, quod in scribendo curent. Nam oratores hoc sibi præcipuè proponunt, itemque

poëtæ.quare sic Arist. δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι, ὅπ' ἂν ἢ ἐλεεινά, ἢ δεινά, ἢ μεγάλα, ἢ εἰκότα δέῃ παρασκευάζειν: sunt enim multa, quę oportet τῷ λόγῳ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι, καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνεσθαι. τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον εἰ φανοῖτο ἡδέα, καὶ μὴ διὰ τοῦ λέγοντος; Quòd si sententiarum tanta cura sit habenda rerum causa, non ne verba vtrisque consentanea esse debent? NON EGO INORNATA.] Equidem adduci non possum, vt credam Horatij consilium fuisse docēdi rationem Satyræ fabulæ, cui similem Latinam Attellanam Diomedes scripsit: nō enim eo fuit animo, vt ad has nugas descenderet: loquitur enim de tragœdia, & ea Græca, quam Latinis imitandam putat, & vt possint, suis præceptis curat. nam quis apud Latinos cum Satyris docuit tragœdiam? præterea, si Attellana erat Satyrę similis, humilior erat vtriusque sermo, quàm comœdię. Nec quenquam moueat, quòd hic Latinam fabulam nominarit, per eam enim comœdiam intelligit. quod apertè per Dauum, & Pythiam docet, quæ sunt comicæ personæ, & à Gręcis sumptæ: nequis argutulus hic quoque det argumenta suæ leuitatis. Verba inornata dicuntur quæ neque translata, neque mutata sunt, verum simplicia, & propria, ab omni ratione tropi aliena. ET DOMINANTIA.] Et hæc propria sunt, quæ cum re ipsa penè videntur esse nata, & dominantur in suo sensu, nō expulsa de sede sua à translatis. Hæc itaque verba Satyris conueniunt. Sed non illis solis Poëta delectabitur, quoniam propria nomina perspicua sunt illa quidem, sed admodum humilia. vt his verbis docet Aristoteles λέξεως δὲ ἀρετὴ, σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι: σαφεστάτη μὲν οὖν ἡ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων ἀλλὰ ταπεινή. in quo genere peccauit Cleophon, vt idem testatur, & Stelenus, ne igitur oratio ex proprijs tota contexta nimium sit humilis, non ea sola Satyrorum scriptor amabit Horatius vt à comico differat: Nec, ita conabitur. TRAGICO

DIFFERRE COLORI.] Id eſt nec ita proprijs delectabitur, & à tranſlatis abſtinebit, vt ſit comico ſimilis. DAVVS NE LOQVATVR.] Dauus, & Pythias comicæ perſonæ: Silenus, ſatyrica. vt autem inter comicas, & tragicas perſonas ſupra poſitum eſt diſcrimen, ita nunc à comicis ſeruis Satyros differre docet. Et notandũ non cum Chremete aut cum Simone, ſed cum Dauo, & Pythia commiſiſſe Satyros. quippe qui in tragœdia non honeſtiores eſſent, quàm illi in comœdia. EX NOTO FICTVM.] Ex nota ſententia, quæ ſumpta ſit de medio fictam. Sequar, id eſt fingam carmen Satyricum, non de re recondita, verùm de vulgari. atque eiuſmodi carmen erit, vt nemo nón ſperet ſe tale poſſe fingere, ſed tamen admodum rari efficiant. TANTVM SERIES.] Tanta eſt virtus ſtructuræ, tanta vis compoſitionis, tantum ornamenti vulgaribus rebus affert optima verborum collocatio. in Orat. ſuo M. Tul. de oratione ſubtili idem ſic inquit: Nam orationis ſubtilitas; imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus. De Satyra verò ſunt hæc omnia, non de comœdia, vt quidam male ſuſpicantur. DE MEDIO SVMPTIS.] quod ex noto dixit. hic interpretatur.

Syluis deducti caueant me iudice Fauni,
Ne velut innati triuijs, ac penè forenſes,
Aut nimium teneris iuuentur verſibus vnquam.
Aut immunda crepent, ignominioſaq; dicta
Offenduntur enim quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fracti ciceris probat, & nucis emptor,
Aequis accipiunt animis, donant'ue corona.

CREPENT.] Hoc verbo libenter vtitur Horatius nam in primo Epiſtolarum.

Sulcos,& vineta crepat mera. Et in secũdo Sermonum. Si quid Stertinius veri crepat. Quod in eo sensu videtur poni,vt significet aliquid frequenter dici, vt nil aliud habeatur in ore. OFFENDVNTVR QVIBVS EST EQVVS, ET PATER.] Id est equites,& patritij.& Res,id est qui sunt diuites,nec eos modo, qui censum habent equestrẽ,vel patritium;sed omnes locupletes intelligo,quorum magna potentia solet esse inter ciues. NEC SIQVID FRACTI.] Pauperculam intelligit plebeculam, cuius aura leuis admodum videtur.Quare nobilium,& potentiorum gratia quærenda est. Prohibenda sunt igitur Satyrorum immunda, & ignominiosa dicta in equites, & patritios. quamuis ea plebecula valde probet:plus enim damni fit in offensione nobilium,quàm,ineunda gratia humiliorum, lucri.

Syllaba longa breui subiecta,vocatur Iambus,
Pes citus,vnde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis,cùm senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi:non ita pridem,
Tardior vt paulo grauiorq; veniret ad aureis:
Spondæos stabiles in iura paterna recepit
Commodus,& patiens:non vt de sede secunda
Cederet,aut quarta socialiter.hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus,& Enni
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium,curaq; carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quiuis videt immodulata poëmata iudex:
Et data Romanis venia est indigna poëtis,
Idcirco ne vager,scribamq; licenter?an omneis

Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem veniæ cautus, vitaui denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere saleis nimium patienter vtrunque,
Ne dicam stultè mirati: si modò ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto:
Legitimumq́; sonum digitis callemus & aure.

ADCRESCERE.] Id est addi: cũ enim senarij diceren tur, quòd sex metris constent, trimetri quoque sunt ap pellati, quod ob summã celeritatem tribus, non sex pe dibus constare videantur. Et in primo Odarum.
In celeres Iambos
Misit furentem. inquit. Et in primo Sermonum trimetrum significauit dicens.
Pollio regum
Facta canit pede ter percusso. NON ITA PRI DEM.] Ennius post Liuium Andronicum antiqusfsi mus poëta Latinus multa scripsit tum heroico, tum iã bico metro. ita tamen vt ob antiquitatem, quamuis in genio clarus esset, nõ satis cultus videretur. quod idem de L. Accio dici potest, qui non ita multo post Ennium floruit in tragœdia. Hoc autem testãtur hi versus Hor. in primo Sermonum de Lucilio scripti.
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni grauitate minores?
at si Lucilius Accium limabat, & Ennium tumidum ri debat, cum tamen ipse, si Hor. credimus, lutulentus flue ret, non eam laudem habere potuerunt, vt illius iambi religione sint vsi, qui primus ad extremum similis sibi erat. cum dicit igitur Hor. NON ITA PRIDEM

TARDIOR VT PAVLO.] Latina tempora reſpicere non potuit.quod nullus è Latinis vſus erat iambo puro,vnde fieri poſſet apud nos ea variatio . at cum ſpondeos videamus ea lege diſpoſitos in metris Eurip . & Soph.& nequaquam apud Latinos.quis negare auſit de Græcis hic Horatium loqui? NON ITA PRIDEM IGITVR.] Vt erant tempora Græcorum dixit. HIC ET IN ACCI.] Hic verſus ſtabilis ſpondeo. NOBILIBVS TRIMETRIS.] Ironice dictũ.quo nam pacto nobiles erant ij trimetri verſus,qui ab antiquorũ Græcorum formula recederent? nobiles igitur ironice dixit,quia tales eſſe vulgo putabantur. quod in Epiſtolis ad Auguſtum apertius damnat.

Ennius & ſapiens,& fortis,& alter Homerus,
Vt Critici dicunt, leuiter curare videtur,
Quæ promiſſa cadant & Somnia Pythagorea.

vide plura,nam ſi vlla in eis nobilitas fuiſſet; non ſolos Græcos imitandos ſtatuiſſet.at vide, vt ſtatim illorum negligentiam coarguat dicens. IN SCENAM MISSOS.] Quæ verba confirmant iudicium Lucilij, qui verſus Ennij grauitate minores deridebat.quos iuſtus iudex crimine,vel operæ celeris, vel carentis cura, vel ignoratæ artis improbaret. Nam verba hæc ita ſunt diſponenda. in ſcenam miſſos magno cum pondere verſus iudex premit crimine, aut operæ nimium celeris, curamque carentis aut turpi crimine ignoratæ artis. Sed interpellauit quidam Horatium hæc dicentem, nec paſſus eſt eum claudere ſententiam,pronunciando iudex,quod eſt ſubiectum verbi premit. itaque refellens Horatium perſona ſubiecta dixit.

Non quiuis videt immodulata poëmata iudex.

itaque iudex iungitur & affirmato verbo premit, & negato videt.vel intelligas quiduis aliud poëtam voluiſſe inferre premens negligentiam, & ignorantiam rei metricæ poëtarum Ennij, & Acci.Sed interpellatum non

potuiſſe.atque hos verſiculos.

Non quiuis videt immodulata poëmata iudex,
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis.

caue tribuas Horatio:ſunt enim per ἀντίθεσιν dicti à ſub iecta perſona . quod oſtendunt verba ſequentia poëtæ Indigna verò , non quod ita ſit, ſed quia tu Horati indignam iudicas,Iccirco ne vager?ſcribamue licenter?vager'ne quia non quiuis iudex videt immodulata poëmata?Scribam ne licenter?quod data romanis ſit venia poëtis?an omnes viſuros peccata putem mea?vt vagandum non putem?Tutus & intra ſpem veniæ cautus,nil ſcribam licenter? VITAVI DENIQVE CVLPAM.] ſi ſequar eam ſpem,vt mea vitia nemo ſit viſurus, nec ſi viderit,ſit ea reprehenſurus.Quid tandem effecero? vitabo culpam, ſed laudem nullam merebor. Ergo ſatis eſt non damnari?at hoc facilius, & tutius non ſcribendo poterat obtineri.quærimus laudem ? ſummo igitur labore,& ſtudio cauendum eſt , nequid in noſtro poëmate deſiderari poſsit,vt perfectiſsimum ſit , &,vt aiũt habeat omnes numeros.quod ſi vos optatis.

Exemplaria Græca
Nocturna verſate manu,verſate diurna.

Non'ne ſatis iam conſtat refutatos hic eſſe Latinos omnes? non'ne totus hic locus ſic eſt illuſtratus,vt cuiuis planus , & clarus eſſe videatur ? AT NOSTRI PROAVI.] Id eſt,at dicet aliquis : eſt enim ὑποφορά , magna fuit apud veteres opinio de numeris , & ſalibus Plautinis.Et ideo,cum ad Græcos, Latinis cõtemptis,reijciat Piſones,occurrens aliquis Plautum opponit,auctoritate maiorum,optimum Poëtam.hanc igitur opinionem reprehendit.nimium patienter inquiens vtrunque , ne dicam ſtulte miratos eſſe . de hoc Horatij iudicio alio loco diſputatum eſt à nobis,contra Cœlium Calcagninum.quare nunc paucioribus eſt agendum.quamuis de tragicis hic diſputatur,& omnẽ opinionem,quę magna

erat de τριμέτρων Ennij,& Accij nobilitate, extinxerit, idem ſibi ſtatuendum eſſe de comicis putauit.at videns quàm longum fuiſſet omnes confutare, iudicauit eo euerſo,qui optimus haberetur,reliquos omnes facile ceſſuros.is autem erat Plautus. quo cõſilio etiam tragicos illos oppugnauit. SALES.] Non enim ſatis eſt,vt contra Lucilium ſcribit idem,Riſu diducere rictum auditoris. SI MODO EGO, ET VOS.] Non dubitat,quin ipſe cum Piſonibus ea recte iudicare poſſit, ſed eſt modus confirmandi : aſſumendum eſt enim At ego,& vos ſcimus,Ergo nimium patienter vtrunque ſunt mirati. DIGITO CALLEMVS, ET AVRE.] Non quòd cantarent ad manus hiſtriones, vt quidam volunt, hic accipias,quanquam vera eſt hiſtoria,in ſept.primæ Decadis apud Liuium. Sed ea tamen nihil ad hunc locum: Sed quòd,vt Quint.ait lib.nono,tempora etiam animo metiuntur,& pedum, & digitorum ictu interualla ſignant quibuſdam notis, atque æſtimant quòt breues illud ſpatium habeat;inde τετράσημον, πεντάσημον. Sed & Philoſtratus in Orpheo idem his verbis comprobat. ὁ δέξιος δὲ ἀναβάλλεται τὸν ῥυθμὸν: ἐπικροτῶν τὸ ἔδαφος τῷ πεδίλῳ.

Ignotum Tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur,& plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent,agerentq́; peruncti fæcibus ora,
Poſt hunc perſonæ pallæq́; repertor honeſtæ
Æſchylus.& modicis inſtrauit pulpita tignis:
Et docuit magnumq́; loqui,nitiq́; cothurno.

IGNOTVM TRAGICAE.] Varia eſt opinio, quo Theſpis numero tragicus extiterit. nã poſt Epigenem xvi.eum fuiſſe tradunt. alij ſecundum ab hoc, ante omnes alij ſtatuunt fuiſſe. hic primum ceruſſa faciem obliuit, tum portulaca obtexit, poſtremo induxit vſum perſonarũ,

perſonarum,quas ex panno lineo ſolo confecit. docuit autem tragœdias LXI Olympiade.at ex Suida,hęc diſce, cuius verba de hac ipſa re ſcripta ſunt hæc. θέσπις ἰκαρίου πόλεως ἀττικῆς τραγικὸς ἑκκαιδέκατος ἀπὸ τοῦ πρώτου γενομένου τραγῳδιοποιοῦ ἐπιγένους τοῦ σικυωνίου τιθέμενος. ὡς δέ τινες δεύτερον μετ᾽ ἐπιγένην: ἄλλοι δὲ αὐτὸν πρῶτον τραγικὸν γενέσθαι φασι. καὶ πρῶτον μὲν χρίσας τὸ πρόσωπον ψιμμυθίῳ ἐτραγῴδησεν. εἶτα ἀνδράχνῃ ἐσκέπασεν ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε καὶ τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσας: ἐδίδαξε δὲ ἐπὶ τῆς πρώτης καὶ ξ ὀλυμπιάδος: μνημονεύεται δὲ τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἆθλα πελίου, ἢ φορβάς, ἱερεῖς, ἤθεοι, πενθεύς. Horatius verò hunc oſtendit fuiſſe primum poëtam tragicũ. facit enim inuentorem ignoti generis tragicæ camœnę. PERVNCTI FECIBVS ORA,] Elocutio Græca frequentiſſima tam poëtis,quàm oratoribus.apud nos verò non item:Eſt enim poëtis tantum familiaris, Græci quidem per defectum præpoſitionis κατὰ ita loquũtur. noſtri interpretantur per participium habẽtes ora perũcta. Sed latinius accuſatiuus ille vertitur in ablatiuũ. vt albus dentes,id eſt dentibus.vt pars,qua ſit albus explicetur.nam & nos per defectum præpoſitionis ſecundum ita loquimur.Sed ea non ita nobis ſeruit,vt Gręcis κατὰ. fæcibus autem dixit, quod ψιμμυθίῳ Suidas, batrachion inquit Cęlius.Rhod.coloris ſpecies,quo ante excogitatas perſonas faciẽ perũgerẽt,quod auctoritate huius loci confirmat,vt per fæces non triga tãtum,ſed immũdam cuiuſuis rei ὑποστάθμην accipias, POST HVNC PERSONAE., PALLAE QVE.] Notandum ęſt,quod ex Suida modo retulimus, θέσπιν τὴν τῶν προσωπείων χρῆσιν ἐν μόνῃ ὀθόνῃ κατασκευάσαι. Verum ſimplicibus ex ſolo pãno lineo eſt vſus Theſpis.Aeſchylus verò ad rationem fortaſſe tragicam perſonas redegit. nam de tragicis,comiciſque perſonis permulta Pollux. Ariſtoteles verò ſic ait. καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο ἐπεὶ ἔσχε τὴν ἑαυτῆς φύσιν. καὶ τότε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος αἰσχυ-

λος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασε· τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν σοφοκλῆς, & in multas iã formas tragœdia commutata, vbi naturam ſuam fuit adepta, conquieuit, atque primus omnium Aeſchylus & hypocritarum numerum ex vno perduxit ad duos, & chorum imminuit, & primas agendi partes inſtituit. Sophocles verò tertias, & Scenæ compoſitionem. Vbi nos videmus, quæ ſint in tragœdiã ab Aeſchylo collata, & quæ à Sophocle: hic enim Scenam adornauit, ille mo dica pulpita tignis inſtrauit. ille duas perſonas, hic tertiam addidit. Illud etiam videtur eſſe conſiderandum, Ariſtotelem hypocritas eas intelligere perſonas, quarũ vni primæ, alteri ſecundæ, tertiæ partes tribuuntur tertiæ, ex quo πρωταγωνιστὴν, δευτεραγωνιστὴν, τριταγωνιστὴν λόγον dicunt, vt magis confirmer ab Horatio per actorẽ ſupra intellectum eſſe protagoniſtam, cuius partes, & officium virile tueatur chorus. atque hæc ad apparatum pertinent, quem ὄψιν vocat Ariſt. neque hæc pars, vt nec melodia, prætereunda fuit: ὄψις enim agendis fabulis continet omnes earum partes: inquit enim Ariſt. καὶ γὰρ ὄψις ἔχει πᾶν καὶ ἦθος, καὶ μῦθον, καὶ λέξιν, καὶ μέλος, καὶ διάνοιαν ὡσαύτως. omnia enim hæc verſantur in ſcena, quæ quidem ſpeciem habet à rebus nihil abhorrentem: eſt enim velut inſtrumentum, nam ex apparatu, & melodia ſunt imita tiones vt fabulæ ratio poſtulat. dictio verò, mores, ſententiæ res ſunt, quæ ad imitandum ſunt propoſitæ. verum ſi tragœdiam ipſam legamus, nõ magis apparatus & melodia ſunt illius partes, quàm in antiquorum orationibus, quæ leguntur, actio, & memoria. cum verò hæc vnuſquiſque ſcribat. vt agantur. hæ quoque partes numerãtur. quare Hor. de origine, & acceſsione eorum dicendum aliquid exiſtimauit. ET DOCVIT MAGNV'MQVE.] ad λέξιν redit. ſupra quoque: & tulit eloquium inſolitum. hic verò perfectiorem eloquentiã in telligit. Quæ Sophoclis & Euripidis fuit potius, quàm

Aeſchyli.de quo ſic ait Quint.in decimo:tragœdias primus in lucem Aeſchylus protulit,ſublimis, & grauis,& grandiloquus ſæpe vſque ad vitium, Sed rudis in pleriſque,& incompoſitus.propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre poſterioribus poëtis Athenienſes permiſere. ſuntque eo modo multi coronati. Sed longè clarius illuſtrauerunt hoc opus Sophocles, & Euripides.iam videmus hic quid ſit magnum loqui.Sed illius vitia hi limarunt.Nam ſine vllo tumore politi,grandes, & ornati fuerunt in ſcribendo. NITIQVE COTHVRNO.]Id eſt,geſtare cothurnum,quo nituntur incedentes:hoc & viri & puellæ vtebantur, vtrique pedi apto.Suidas.κόθορνος ὑπόδημα ἀμφοτεροδέξιον.Et de Theramene loquens οὕτως inquit ἐκαλεῖτο ὁ θηραμένης ἀθηναῖος ῥήτωρ:μαθητὴς προδίκου τοῦ χίου.Et cauſam refert.εἴρηται δὲ ἐπὶ τοῦ στρεφομένου συνεχῶς: οὔδε γὰρ καὶ δὶς.λ. συνίστπευδε,καὶ τῷ πλήθει.ὅτι ὁ κόθορνος πρὸς τὰς ὑποδήσεις ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶν ἐξαρμόττει. habemus igitur ex Suida tria de cothurno, & quod habilis ſit vtrique pedi,& quod mari, & fœminæ conueniat, & cur Theramenes Cothurnus vocaretur. quod in bonam partem Plut.accipit.Sic enim inquit in Politicis. ἀλλ᾽ἐνταῦθα δεῖ μάλιστα τὸν θηραμένους κόθορνον ὑποδούμενον ἀμφοτέροις ὁμιλεῖν,καὶ μηδετέροις προσίστασθαι. atque ibi plura leges,ex quibus intelligas Theramenem optimo animo ita ſe geſſiſſe.nec ſemper hoc prouerbium in malam eſſe partem accipiendum, quod inconſtantiam aut leuitatem non arguat omnino.

Succeſſit vetus his comœdia,non ſine multa
Laude,ſed in vitium libertas excidit,& vim
Dignam lege regi:lex eſt accepta:chorusq́;
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.

SVCCESSIT VETVS HIS COMOEDIA.] Tragœdiæ ſucceſſiſſe comœdiam rectè tradit Horat. non quia

hæc illi fortaſſe origine par non ſit:Sic enim de vtriuſq; ortu,& acceſſione ſcripſit Ariſtoteles. γενομένης οὖν ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ αὐτὴ, καὶ ἡ κωμῳδία, καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον: ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμεναι κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόντων, ὅσον ἐγίγνετο φανερὸν αὐτῆς. idem igitur vtriuſque principium fuit: horrido enim ſermone, & ſua ſponte fluenti conſtabant:auctæ ſunt autem ſimili ratione,quã quam diſſimili genere. Hæc enim quantum ex re ipſa conſtitit,aucta eſt ſenſim ab ijs,qui Phallica protulerũt, illa verò ab ijs,qui dithyrambum cecinerunt.Ex his tamen non conſtat,vtra prior agi cœpta ſit. nec alibi fortaſſe.Sed quoniam tragœdia ab initio chorum accepit à magiſtratu,& multo poſt comœdia, in lucẽ illa prior eſt progreſſa, & hæc eſt conſecuta. vt mox videbimus. Quod igitur Donatus ait Cratinum,& Eupolim,& Ariſtophanem patres veteris comœdię,illius intellige,quę iam publico accepto choro in publicis ludis verſari cœperat. nam ante hoc tempus perfecta erat illa quidem, ſed tamen obſcura, & incertis auctoribus ad ſuam perfectionem deducta.Sed primam Donatus videtur originem ad illos referre,vt ad Theſpim tragœdiæ.atque eo magis videtur hoc voluiſſe,quod,vt verum principium horum δραμάτων oſtenderet, Homerum, vt etiam fecit Ariſt.earum auctorem dicit eſſe.quaſi verò poſt Homerum illi primi fuerint,quod eſſe falſum omnia demonſtrant.diutius latuiſſe comœdiã refert Ariſt. & cauſam affert,ὅτι χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν. Quare nõ habuit à principio comœdia fautores,vt tragœdia; Nec illius ſtudij amatores,cognoſci poterant, vt tragœdiæ, quod publica luce carebat,& publico teſtimonio. Sed tamen aucta eſt illa quidem,verum à paucis ſpectabatur.quod in Dionyſij, aut alijs publicis ludis locum nõ habebat.atque hinc illi,qui in ea laborarunt,in pauciſſimorum,& eorum ignobilium cognitione verſabantur.

Ex quo natum eſt, vt perſonarum, prologorum, hypocritarum numeri, & huius generis rerum aliarum inuẽtores ignorentur. nam hæ ſunt μεταβάσεις, id eſt mutationes. quas poſuit Ariſt. ex quo hæc omnia ſumpſimus: mutari enim forma comœdiæ videbatur, quoties aliquid horum adiungebatur. Sed cur eius verba non adſcribam? hæc ea ſunt. αἱ μὲν οὖν τῆς τραγῳδίας μεταβάσεις, καὶ δι' ὧν ἐγένοντο, οὐ λελήθασιν· ἡ δὲ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν. καὶ γὰρ χορὸν κωμῳδῶν ὀψέ ποτε ὁ ἄρχων ἔδωκεν, ἀλλ' ἐθελονταὶ ἦσαν· ἤδη δὲ σχήματά τινα αὐτῆς ἐχούσης, οἱ λεγόμενοι αὐτῆς ποιηταὶ μνημονεύονται. τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους, ἢ πλήθη ὑποκριτῶν, ἢ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται. tragœdię quidem progreſſus, & per quos facti ſint non latuere. Comœdia verò, quòd parũ illi à principio faueretur, latuit. Etenim magiſtratus comœdorum chorum ſero dedit. Sed erant voluntarij. vbi verò formam aliquam, & ſpeciem habere cœpit, qui poëtæ dicti fuerint illius, commemorantur. Qui verò perſonas tradiderit, vel prologos, vel numerũ hypocritarum, & quæ ſunt eiuſmodi, ignoratur. μεταβάσεις quas mutationes interpretor, nihil aliud fuerunt in tragœdia, quàm in comœdia. i. perſonę, prologi, hiſtriones. adde etiã, ſi placet, apparatus ſcenæ, pulpita, & id genus alia, quę omnia intellexit Ariſt. cum dixit: καὶ ὅσα τοιαῦτα. hæc autẽ in tragœdia quibus vis cũ ſuis auctoribus cognita fuere. Etenim ea placuit magis, & habuit plures fautores. hoc eſt μᾶλλον ἐσπουδάζετο. ac in publicis ludis ſortita locum magis enituit. Contra comœdiæ non ſcriptores illi quidem, alioqui per quos aucta fuiſſet? ſed honores ſpectaculorum publicorum defuerunt, quo circa in tanta populi gratia non viguit. quare comici poëtæ, qui eam ornarunt, & ſuis inuentis auxerunt, in ignoratione hominũ verſantur. Quantum igitur interſit publicos habuiſſe choros, aut priuatos, ex eo cognoſci poteſt, quod non aliam ob cauſã tragœdia tanta fuit in luce, nec viciſsim in ijs tenebris comœ

dia,quàm quod illa publicis honoribus, hæc priuatis ſpectata fuit. Ex his conſtare puto non ignoratum eſſe quibus rebus aucta ſit comœdia, ſed quibus auctoribus, nec illi poëtas defuiſſe,nam per quos aucta fuiſſet? & voluntarios habuiſſe choros,vt qui nec publico ſumptu alebantur,nec per choragum fungi ſuo munere cogebantur.vt eſt apud Xenoph.in Hierone.καὶ γὰρ,ὅταν χοροὺς ἡμῖν βουλώμεθα ἀγωνίζεσθαι, ἄλλα μὲν ὁ ἄρχων προτίθησιν ἆθροίζειν δὲ αὐτοὺς προςέτακται χορηγοὺς,καὶ ἄλλους διδάσκειν,καὶ ἀνάγκην προςτιθέναι τοῖς ἐνδεῶς τι ποιοῦσιν. hoc eſt, quoties enim volumus nobis choros in certamen deſcendere, princeps præmia proponit, eos tamen cogi per choragos iubet,& per alios doceri,& vim proponi minus rectè facientibus. quæ de Syracuſanis Athenienſes imitantibus dicta ſunt.ſed quoniam ſemel cœpimus, demonſtremus apertis teſtibus,& certis conſueuiſſe Athenienſes in publicis ludis publico ſumptu per choragos nutrire choros.Libanius in argumento Demoſthenis orationis contra Midiam:ἑορτὴν ἦγοντο οἱ ἀθηναῖοι,ἣν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ θεοῦ διονύσια:ἐν δὲ ταύτῃ τραγικοὶ,καὶ κωμικοὶ,καὶ αὐλητῶν χοροὶ διηγωνίζοντο:καθίσασαν δὲ τοὺς χοροὺς αἱ φυλαὶ,δέκα τυγχάνουσαι:χορηγὸς δὲ ἦν ἑκάστης φυλῆς,ὁ τὰ ἀναλώματα παρέχων τὰ περὶ τὸν χορὸν.id eſt in honorem Dionyſij Atheniēſes feſta celebrabant,quæ ab ipſo Deo Dionyſia vocabant.in quibus tragici,& comici, & tibicinum chori certabant.ſtatuebant autem choros Tribus, quæ decē erāt: Choragus autem cuiuſque tribus ſumptus in choros præbebat.atque in altera eiuſdem orationis hypotheſi ita ſcriptum eſt.ἤγετο δὲ παρ᾽αὐτῶν καὶ τὰ διονύσια,καὶ ταῦτα διπλᾶ.μικρά γε καὶ μεγάλα διὰ τριετηρίδος.ἐν τοῖς ληναίοις. ἐν οἷς προὐβάλλετο χορηγὸς ἀφ᾽ ἑκάστης φυλῆς πρὸς τὸ τρέφειν χοροὺς παίδων τε,καὶ ἀνδρῶν:ἐλάμβανε δὲ εἰς τοῦτο χρήματα.celebrantur ab ipſis etiam Dionyſia,atque hæc etiam duplicia, & parua,& magna tertio quoque anno in lenis, in quibus creabatur choragus ex quaque tribu ad choros nu

triendos, pecuniā enim ad hunc vſum accipiebant. Quid attinet huc etiā Demoſthenem aduocare, qui cum alijs in locis, tum in prima Philippica idem apertiſſimè decla rat? cum nondum igitur chori comicorum ad publica certamina forent admiſſi, erant liberi, & voluntarij, nec prohibiti ſunt ab vllo magiſtratu, cum nulli data eſſet ea prouincia priuatim in comœdijs cātare: nec mouent me leges Platonis, quibus in ſeptimo ſtatuit nemini poëtæ ſcribere quidquam licere, quod præter recta ciuitatis inſtituta foret, nec vllum poëma edi poſſe, niſi à iudicibus illius rei permiſſum eſſet. Platonis autem ver ba lege. τὸν ποιητὴν παρὰ τῆς πόλεως νόμιμα, καὶ δίκαια, ἢ ἀγαθὰ, μηδὲν ποιεῖν ἄλλο: τὰ δὲ ποιηθέντα μὴ ἐξεῖναι τῶν ἰδιωτῶν μηδενὶ πρότερον δεικνῦναι, πρὶν ἂν αὐτοῖς τοῖς περὶ ταῦτα ἀποδεδειγμένοις κριταῖς, καὶ τοῖς νομοφύλαξι δειχθῆ, καὶ ἀρέσῃ. Quid enim Athenarum inſtitutis cum Platonis legibus? quibus ille ſuā nō Athenienſiū rempub. cōſtituere ſtudebat: Athenis igitur licebat poëtis ſuas fabulas priuatis ſumptibus docere vbicunque libuiſſet. & ideo dixit Ariſtot. ἀλλ᾽ ἐθελονταὶ ἦσαν. Sed iam tempus eſt, vt ad Hor. reuertamur. SVCCESSIT, inquit, VETVS HIS COMOEDIA.] Eſt notum ferè omnibus, comœdiæ triplicem fuiſſe rationem: nam prima dicta eſt vetus, & antiqua id eſt ἀρχαία: ſecunda media: tertia noua. Etenim dum res Athenienſum penes populum fuerunt, maxima fuit licentia poëtarum in diuites ciues, & duces, & rhetores quiduis dicendi. nam populus hac re delectabatur, & tuebatur ab iniuria poëtas. populo verò iam oppreſſo, & triginta illis viris Atticæ præfectis timere cœpit audacia comicorū, cum præſertim Eupolis, qui βάπτας egiſſet fabulam, ab Alcibiade in mare demerſus fuiſſet. itaq; Choragi deſierant per populū creari, & cum iam non eſſent, qui ſumptum facerent in choros, hi quoque ſublati ſunt. Vnde Ariſtophanes Aeoloſicona fabulam ſine choris dedit, Et hec vna fuit ex medijs. vt δεύτε-

ξũς Cratini, in qua in Homerum dentes exacuit: cum enim præsentes lacerare tutum non esset, in antiquos poëtas suam rabiem contulere. at media coacta est mutare quoque personas cum primæ similitudinem, & effigiem imitarentur eorum in quos sese armauerant poëtæ. itaque & media, & noua ridiculas personas induebant, vt nullius similes videri possent. In primis enim timebant noui Macedonas duces, ne, si casus ita tulisset, vt aliqua persona visa esset cuiusquam similis, supplicio poëta multaretur. Successisse verò dixit priscam comœdiam, quando chorus illi quoque publice datus est. nam antea latuit, vt dictum est. NON SINE MVLTA.] siquidem multi in ea fuerunt clari. vt Aristophanes, Cratinus, Eupolis, Epicharmus, Magnes, Crates, Pherecrates, Phrynicus. Nouæ autem nobiles extiterũt Philemon, Menander, Diphilus, Philippides, & Posidippus. SED IN VITIVM LIBERTAS.] Laus fuit in artificio, & elengantia versuum, & in omni poëtica virtute. Verum, cum à principio solerent insectari vitia, cœperunt etiam honestos maledictis, & turpibus conuicijs vexare. Quare vt hic ostẽdit Horatius lege sublata est ea licentia. verum hic nihil de media & noua dicere videtur, cum tamen dicat, nam sublatum fuisse chorum docet, non comœdiam. Cum verò propositum poëtæ non videatur esse omnia complecti, satis est vnam, quæ prima, & maxima fuit, attigisse: qua posita consecutæ sunt aliæ, non parum tamen differẽtes. Nam vt chorum omittamus, quædam aliæ fuerunt inter nouam, & veterem differentiæ, quæ natura ipsa vidẽtur afferri. vt temporum. nam vetus bello Peloponnesiaco floruit. Noua tempore Alexandri Magni. Planius noua loquebatur, & nouo vtebatur Atticismo, elatior erat antiqua, & vehementior, & nouorum verborum studiosior. rursus noua iambo plerunque. vario metrorum genere delectabatur antiqua. vt enim Tragici, reiectis Satyris, iambum

bum adamarũt. ita Comici, ſublatis choris,ad eundem ſe verſum retulere.Perſonarum quoque, rerumque varietas à veteri nouam diſtinxere.Mediam verò antiquæ puto ſimiliorem fuiſſe cum Ariſtoph.& Cratinus & denique iidem eam,omiſſo choro,ſcripſerunt, qui in vetere floruere.verũ hæc Hor.omittit,nec propterea tollit. TVRPITER OBTICVIT.] Cum enim antea ferretur illa maledicentia,honeſta videbatur.Lex verò declarauit eius improbitatem. quare non ſine ſuæ turpitudinis aperto ſigno coacta eſt tacere.

Nil intentatum noſtri liquere poëtæ,
Nec minimum meruere decus,veſtigia Græca
Auſi deſerere,& celebrare domeſtica facta:
Vel qui prætextas,vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret,clariſ'ue potentius armis,
Quàm lingua Latium,ſi non offenderet vnum-
Quenque poëtarum limæ labor,& mora,vos ò
Pompilius ſanguis carmen reprehendite,quod non
Multa dies,& multa litura coërcuit,atque
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem.

NIL INTENTATVM NOSTRI LIQVERE POETAE.] Hic de ſtudio,& exercitatione ſcribitur,& præſertim Latinorum,nam his hæc ſcripta ſunt.Quorum ignauia,& negligentia reprehẽditur, laudatur ingeniũ. Latini Græcos imitati ſunt in fabulis ſcribendis,partim Græcis, partim Latinis & proprijs argumentis, de his verò hic loquitur dicens.

Vel qui prætextas,vel qui docuere togatas.

Miratur hic Diomedes togatas fabulas pro ſpecie fuiſſe poſitas,cum ſit genus.Sed tamen nihil erat, quod mira-

retur.Volens enim Hor.eo discrimine prætextatas à to gatis sciunctas esse declarare, quo tragœdia distinguitur à comœdia.Latina verba non habuit aptiora, quàm prætextata,& togata.Nam quantum interest inter prętextam,& togam,tantum differt à prætextata fabula to gata.Notum est enim togam communem fuisse habitũ Romanorum, ita per eam intelligi debet fabula communis etiam fortunæ. Prætexta verò quis nescit clariores personas significari, quàm vt in obscuras tabernas debeant includi? non errore igitur factum est, vt Horatius distinctè, & perspicuè loqueretur. ac, vt verè loquar, potior nobis esse debet auctoritas Horatij,quàm Diomedis.vt per togatas intelligamus tabernarias,& reliquas priuatis fortunis congruentes:in prętextatis verò principũ virorum facta contineri. vtcumque verò fateamur necesse est, Horatium non potuisse, neque distinctius,neque planius loqui. NEC VIRTVTE FORET.] In his,quæ sequuntur, vsque ad finem, nihil habet tam propositum,quàm vt Latinorum negligentiam castiget:nec aliud ad summam nostrorum laudem deesse putat, quàm studium laboremque limæ. de qua re sic quoque ad Augustum.

Serus enim Græcis admouit acumina chartis,
Et post Punica bella quietus quærere cœpit,
Quid Sophocles,& Thespis,& Aeschylus vtile ferrent.
Tentauit quoque rem si digne vertere posset;
Et placuit sibi natura sublimis,& acer.
Nam spirat tragicum satis,& feliciter audet:
Sed turpem putat in scriptis,metuitque lituram.

Neque hic intelligit eloquẽtia Romanos potuisse Gręcis præstare:neque hac vtitur cõparatione.Nam Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo, Musa loqui. Sed ostendit eos ad facultatem poëticam non minus aptos, quàm ad illa studia,in quibus maximè floruerunt. Et si ad sua scripta diligẽtiam voluissent adhibere,maximam

ex eis laudem consequi potuisse. NEC VIRTVTE F ORET, CLARISVE POTENTIVS ARMIS.] Virtus Rom. eximia fuit omnino, vt Græcorum doctrina. vt non iniuria dictum sit à M. Tullio de Oratore lib. III. Virtutis exempla à Romanis: à Græcis doctrinæ repetẽda. quẽ quidẽ locũ latius explicauit in prima Tusc. vbi de Romanis loquẽs: Iam, inquit, illa, quæ natura, nõ literis assecuti sunt, ueque cum Græcis, neque vlla cum gente sunt conferenda. Quæ enim tanta grauitas, quæ tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quæ tam excellens in omni genere virtus in vllis fuit, vt sint cum maioribus nostris comparanda? Doctrina Græcia nos, & omni literarum genere superabat, in quo erat facile vincere non repugnantes. Virtute igitur vicerunt Romani teste M. Tulio & fortasse hic Horatio. sed standum est eorũ iudicio, qui scripserunt historias. Confitemur nos doctrina superari, vt illorum victoria certa sit, Romanorum verò anceps. Sed mittamus hanc quæstionem. VOS O, POMPILIVS SANGVIS.] Pompilius Nominatiuus pro vocatiuo, vt apud Virg.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Qui mos, Prisciano teste, Græcus est. Homer. in Iliad.

ἠέλιος, ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις.

MVLTA DIES.] Tria sunt in scribendo maximè necessaria. Acumen ingenij, Ratio, siue malis artem appellare, tum Diligentia. Ingenio primas concedit M. Tul. Sed idem Ingenium ipsum ex tarditate diligentia tradit incitari, & iure quidem: nihil est enim quod negligentia mancum non reddat, & imperfectum. nihil rursus quod diligentia non perficiat. Verum diligentię nihil est tam cõtrarium, quàm nimia celeritas. quare multa dies, inquit, coërceat opus, & multa litura Non potest multa litura castigari opus, neque decies ad vnguem expoliri sine longo tempore. Quare vt nonum prematur in annũ opus, post præcipiet. COERCVIT.

LIMA.] Proprio vſus eſt verbo: Eſt enim coërcere ſuperflua amputare, nec pati arborem ramos latius funderе, quàm ſit vtile. Vnde Cicero de Seneƈt. de vite ſic ait. Quam ſerpentem multiplici lapſu, & erratico ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne ſylueſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur.

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit: & excludit ſanos Helicone poëtas
Democritus: bona pars non vngueis ponere curat,
Non barbam, ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcentur enim pretium, nomenq́ poëtæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Lycino commiſerit. O ego læuus,
Qui purgor bilem ſub verni temporis horam.
Non alius faceret meliora poëmata: verum
Nil tanti eſt. ergo fungar uice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi
Munus & officium nil ſcribens ipſe docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formetq́ poëtam:
Quid deceat, quid non: quò virtus, quò ferat error.

INGENIVM MISERA.] Et hæc opinio negligétiam vehementer auget, quòd plerique duƈti auƈtoritate Democriti exiſtimant ad facultatem poëticam nulla eſſe opus arte, ſed furore quodã naturali. Ex quo fit, dum multi diuino furore videri velint afflati, ſequantur illas ineptias, quas hic optimus cenſor deridet. Tollendam igitur ſibi duxit inanem hanc opinionem, oſtendens: tum in natura, tum in arte multum eſſe poſitum; & neutram ſine altera multum valere. MISERA ARTE.]

Ironice dictum;sic enim videtur ijs,qui suũ ingenium admirãtur. DEMOCRITVS.] à Democrito primum emanauit hoc dictum, quod in Phædro Plato comfirmauit, vbi furorem in diuinum, & humanũ distribuit. Diuini verò multis verbis quatuor species explicauit. Nam & in vaticinijs,& in mysterijs,& in poësi,& in amore cognoscitur diuinus furor.Sed nos,alijs omissis, quod ad rem nostram attinet,huc ex Platone transferamus.sic enim inquit. Tertius verò furor musarum est, qui occupat teneram,& nudam animam, ac incitat, & inflammat ad antiquorum infinita facta odis, & alijs carminum generibus ornãda,& instituit posteros. qui autem sine diuina inspiratione ea spe ad musarum fores accessit,vt ex arte idoneus poëta futurus esset,& imperfectus ipse,& poësis illius sani à furentium poësi fuit obscurata.M.Tul.in secundo de Or.testatus hanc Democriti,& Platonis auctoritatem sub Antonij persona dixit.Sæpe enim audiui poëtam bonum neminem(id quod à Democrito,& Platone in scriptis relictum esse dicunt)sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodã afflatu quasi furoris. Sed in primo Tusc. suo nomine his verbis idem confirmauit:Mihi verò ne hæc quidem notiora, & illustriora carere vi diuina videntur,vt ego aut poëtam graue,plenunque carmen sine cælesti aliquo mentis instinctu putem fundere; aut eloquentiam sine quadam vi maiore fluere abundantem sonantibus verbis,vberibusque sententijs. Et pro Archia poëta in eandem sententiam inquit: Poëta natura ipsa valere,& mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. BONA PARS NON VNGVES.] Ex eodem sanè Democrito dictum confirmatur.quo quisque sit ingeniosior,hoc furore magis agitari. Nec ab hac sententia Plato discrepat, qui quidem in Theæteto per Theætetum ipsum sic ait. ἀλλ' οἵτι ὀξεῖς ὥς περ οὗτος,καὶ ἀγχίνοι,καὶ μνήμονες,ὡς τὰ πολλὰ,καὶ πρὸς τὰς ὀρ-

γὰρ ὀξύῤῥοποί εἰσι καὶ ἄπλοντες φέρονται, ὥσπερ τὰ ἀνερμάτιστα καὶ μανικώτεροι, ἢ ἀνδρειότεροι φύονται. At acuti ſicut hic,& ſagaces memores plerunque,& procliues ſunt ad irã,& impetu feruntur.vt nauis nulla re ſuſtentata,naturaque plus habent furoris,quàm fortitudinis. Hi verò magis laborant,vt ex vitio cognoſcatur virtus, quàm vt ex virtute vitium.nam μελαγχολικοὶ videri volunt,vt ingenioſi videantur.Sed non omnis melancholiæ genus acuit ingenium, quocirca videant ipſi, qua ſpecie laborent. dum ſordibus vnguium,& intonſa barba,ſitu nidoris,& pedore horrida gaudent. O EGO LEVVS.] Irriſio eſt. dum enim ſtultum ſe fingit,veram illorum dementiam, coarguit. MVNVS, ET OFFICIVM.] Nihil hactenus egit Hor.niſi vt hæc doceret.Verum duplex eſt munus, & officium poëtarum.alterum eſt, quod hactenus tam multis præceptis eſt expoſitum, atque hoc etiam multiplex,vt patet.Alterum, quod pertinet ad finem, ad quem referendi ſunt omnes labores,& ſtudia poëtarum.Et hoc in duas partes eſt diſtributum, in delectationem,& vtilitatẽ. Sed tria hic profitetur ſe daturum munus,& officium,& vnde parentur opes, & quid deceat.Sed hæc paucis,& ſtatim expediuit,contrario ordine propoſitionis ſuæ:tum de munere, & officio diſputabit,vbi aut prodeſſe,aut delectare poëtas debere monet. VNDE PARENTVR OPES.] Ex Socraticis, vt ſuo loco patebit,illud Hor.reſpexiſſe puto,quòd Socrates primus de philoſophia morali diſputare cœpit. & eam diſciplinam ſic ornauit.vt infinita poſt eum volumina ſint de vita,& moribus à Philoſophis perſcripta, qui omnes Socraticos ſe dici,& eſſe volũt. Et hæc ſunt, quæ poëtam alunt:nam quid deceat,quid non,quo virtus,quo ferat error,quis docet, niſi Socratici philoſophi?Socratis igitur diſciplina principium ſcribendi recte dici poteſt. Vnde M.Tul. in Oratore dixit: Omnis vbertas, & quaſi ſylua dicendi ducta eſt à diſputationi

bus philoſophorum. NIL SCRIBENS IPSE DOCEBO.] Si nulla eſt ars,vt in quinto de Finibus ſcribit ex Antiochi ſententia M.Tul. quæ ipſa à ſe proficiſcatur,quòd illud extra ſit,quod arte comprehenditur, abſurdum non eſt,vt qui poëmata ſcribere non poſſit, illius tamen rei poſſit tradere præcepta. nam & permultos de dicendo ſcripſiſſe conſtat, quorum tamen induſtria nunquam cognita eſt in foro.Defuit enim illis, vt de Or. Craſſus ait natura.Itaque ſcribendi poëmata ſciẽtiam concedens alijs quia purgat bilem,Horat.quòd ad præceptionem attinet,ſuo iure ſibi ſumit.

Scribendi rectè ſapere eſt,& principium,& fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ,
Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur.
Qui didicit patriæ quid debeat,& quid amicis:
Quo ſit amore parẽs,quo frater amãdus,& hoſpes:
Quod ſit conſcripti,quod iudicis officium:quæ
Partes in bellum miſſi ducis:ille profectò
Reddere perſonæ ſcit conuenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ,morumq; iubebo
Doctum imitatorem,& veras hinc ducere uoces.

VERBAQVE PROVISAM REM.] Dubium non eſt, quin rerum copia copiam verborum gignat, & verbà tunc ornata ſint,cum ſententiarum pondere nituntur. id quod omnino fit,ſi re ipſa gigni videatur. QVI DIDICIT PATRIAE.]Qui ſcit in tribuendis officijs delectum habere perſonarum,cognoſcit, quod deceat. RESPICERE EXEMPLAR VITAE.] Officium eſt cuiuſcunque artificis,aut ſcriptoris quacunq; de re vel arte dent præcepta,de abſoluta,& perfecta ea dare.Docet hoc Mar.Tul.in tertio de Oratore dicens. Semper

enim quacunque de arte, aut facultate quæritur, de absoluta, & perfecta quæri solet. & in Oratore suo idem sic ait: Quicquid est igitur, de quo ratione, & via disputatur, id est ad vltimam sui generis formam, speciemq; referēdum. Hoc verò facere nemo potest, si eas species sequatur, quæ vllo sensu percipi possunt: nulla enim est omni numero perfectionis absoluta, quæ sit nostris sensibus subiecta. dirigenda est igitur mentis acies ad illas formas, quæ sub oculos non cadunt, vt eas, veluti in simulachris suis faciūt pictores, veritatis imitatione, quātum licet exprimamus. Neque enim Phidias, vt scribit M. Tul. cum faceret Iouis formam, aut Mineruæ, contēplabatur aliquē, è quo similitudinē duceret: sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eamque defixus ad illius similitudinem artem, & manum dirigebat. Ad formas igitur, & ideas Platonicas respiciendum est, vt facere pictores Arist. docet, vbi ait in Poëticis, ἐπεὶ δὲ μίμησις ἐστὶν ἡ τραγῳδία βελτιόνων: ἡμᾶς δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς ἀγαθοὺς εἰκονογράφους, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἀποδιδόντες τὴν οἰκείαν μορφὴν, ὁμοίους ποιοῦντες καλλίους γράφουσιν. οὕτω καὶ τὸν ποιητὴν μιμούμενον καὶ ὀργίλους, καὶ ῥαθύμους, καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα ἔχοντας ἐπὶ τῶν ἠθῶν, ἐπιεικείας ποιεῖν παράδειγμα, ἢ σκληρότητος δεῖ. οἷον τὸν ἀχιλλέα ἀγαθὸν καὶ ὅμηρος. iam patet quid moneat Hor. DOCTVM IMITATOREM.] Omnis enim poësis est imitatio, vt sæpissime dixit Arst. quare doctum imitatorem eruditum intelligit, & prudentem poëtam. ET VERAS HINC DVCERE VOCES.] In singulis hominibus raro sunt ea omnia quæ sunt illius, vel vitij, vel virtutis propria, quam poëta vere conetur imitari, vt est sapientia, pietas, fortitudo. quæ omnia Virg. in Aenea esse voluit. at is neque Aeneam vidit vnquam, nec nouit, nec ab Homero ita formatum accepit vt famam sequi cogeretur. Non igitur Aeneam poëta contemplabatur, sed eas ipsas virtutes, ex quibus voces, & actiones veras

duceret.

duceret.anXenophon Cyrum intuebatur?nihil minus, sed ideam perfecti regis, quam conatus est exprimere, potius,quam Cyrum, qui tametsi maximus vir fuit,nihilo minus multis partibus minor extitit, quàm expresserit ille vir doctissimus.

Interdum speciosa locis:morataq; recte,
Fabula nullius Veneris,sine pondere, & arte,
Valdius oblectat populum,meliusq; moratur,
Quàm versus inopes rerum,nugæq; canoræ.

INTERDVM SPECIOSA LOCIS.]Sic lego,non iocis. Nam quid tragœdiæ cum iocis? MORATAQVE RECTE.] Diximus à principio sex esse partes tragœdiæ fabulam,morem,dictionem, sententiam, apparatū & melodiam:quarum postremæ duæ sunt tanquam instrumenta imitationis,tres mediæ subiectæ sunt,& propositæ ad imitandum.Prima verò continet in se modū, cum fabula sit compositio rerum omnium in tragœdia, & eo modo,& ordine imitandum sit,quo composita sit ipsa fabula.Verum hic Hora.illa tria videtur attingere, quæ sunt fabulæ subiectum, & in quibus versatur omnis imitatio:orationem,dico, sententiam, & morem. quorum aliud ex alio pendet. nam oratio pendet ex sententia, hæc autem ex more. Etenim sententia exprimitur oratione:ipsa verò sententia mos hominis. Oratio igitur habet significationem morum.itaque morata fabula est,quæ mores effingit eorum, quorum persona sustinetur ab hypocritis,vt,quales illi sunt,tales esse videantur. Patet hoc ex Arist.qui sic expressit hanc sententiam. ἕξει δὲ ἦθος μὲν, ἐὰν, ὥσπερ ἐλέχθη, ποιεῖ φανερὰν ὁ λόγος, ἢ ἡ πρᾶξις προαίρεσίν τινα: φαῦλον μὲν, ἐὰν φαύλην: χρηστὸν δὲ, ἐὰν χρηστήν.illa igitur oratio, & illi versus,qui pondus habeant verborum,nisi ad vitam, ad condiciones, ad mores accommodentur,meras nugas Hor.esse putat. INTER

DVM.] Non refertur ad oblectat. Semper enim si morata sit fabula, & speciosa locis, magis oblectabit. Sed ad morata: non enim semper id accidit. Nam inquit Arist. αἱ τῶν νέων τῶν πλείστων ἀήθεις τραγῳδίαι εἰσὶ, καὶ ὅλως ποιηταὶ πολλοὶ τοιοῦτοι. οἷον καὶ τῶν γραφέων Ζεῦξις πρὸς Πολύγνωτον πέπονθεν: ὁ μὲν γὰρ Πολύγνωτος ἀγαθὸς ἠθογράφος: ἡ δὲ Ζεύξιδος γραφὴ, οὐδὲν ἔχει ἦθος. erant igitur paucæ tragœdiæ iuniorum moratæ, quemadmodum Xeuxidis optimi pictoris imagines: Contra Polygnoti mores præ se ferebant.

SPECIOSA LOCIS.] Loca speciosa sunt insignes actiones, quæ sensum animi & naturã auctoris indicant, fabula igitur, in qua sint actiones pulchrę, in qua mos, animusque agentis exprimatur sine verborum pondere, & orationis ornamentis oblectabit magis, quàm hæc ipsa sine moribus & locis: Poëta enim (vt idem testatur Arist.) quatenus fingit, rerum est poëta, non metrorum. Inuentio igitur insignis, & fabulę constitutio, in qua ratio morum diligens habeatur, magis capit spectatores, quàm versus inopes rerum & magno cum põdere missi in scenam. Nam oratio ornata verbis, & rebus inanis furiosa est, vt ait Crassus apud. M. Tul. Quam ob rem studendum est rebus, & decoro potius, quàm verbis quamuis rei perfecta ratio requirit vtrunque studium. Nam de orationis decoro quàm multa superius disseruit poëta noster? Quid est, Intererit multum Dauus'ne loquatur, an heros? mitto alia loca: Patet enim per se. & sententias quamuis graues, & suaues, tamen si inconditis verbis efferantur, aures offendere, & à sententijs sciuncta verba esse tanquam corpus sine anima: Et vt semel finiam Ciceronis verbis, cuius sunt etiam superiora, sic statuo, neque verborum ornatum inueniri posse non partitis, expresśisque sententijs, neque esse vllam sententiam illustrem sine luce verborum. Hoc autem voluit Hor. docere, vtrunque vitium esse fugiendum: Sed si nequeas vtrunque, vt in verbis potius deficias,

quàm in rebus, et officijs tribuendis, vt ſcias reddere conuenientia cuique. NVLLIVS VENERIS.] Vides ne; quod ſuperius eſt dictum de ſtatuis Imi illud totum ponere, in poëmate Venerem eſſe, quam afferat Oratio? nullius Veneris inquit ſine pondere, & arte: poſuit enim eſſe Venerē in verſibus grauibus, & arte laboratis, ſi rebus ſint coniuncti: ab his autem ſeiunctos appellat canoras nugas. Tunc igitur fabula ſuam Venerem habebit, cum & ipſa per ſe erit optimè cōſtituta, morataque recte, & oratione apta & ornata, fuerit illuſtrata. VALDIVS OBLECTAT.] Non omnis voluptas eſt propria tragœdiæ, ſed quam ex miſericordiæ, & timoris affectibus affert poëta. quod his verbis oſtendit Ariſt. ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέους, καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητὴν, φανερὸν: ὡς τοῦτο ἐν τοῖς πράγμασιν ἐμποιητέον in rebus ipſis igitur vis hęc inſita eſſe debet.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in parteis centum diducere, dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe triens. heu
Rem poteris ſeruare tuam. redit vncia, quid fit?
Semis. ad hæc animos ærugo, & cura peculi
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo?

GRAIIS INGENIVM, GRAIIS DEDIT ORE ROTVNDO MVSA LOQVI.] His optimè complexus eſt illam virtutē, quæ ſuperiori vitio eſt cōtraria. Cum enim ex rebus, & verbis omnis oratio conſtet, turpe eſt poëtæ in rebus inueniendis, & componenda fabula, de

coro etiam seruando ingenio valere, nisi par sit etiam scribendo. At longè turpius est versus canoros, & magnos fundere, nisi rerum pari magnitudine nitantur. Græci verò in vtroque fuerunt excellentes. nam ingenio ad excogitandum, & inueniendum, & ad mores ef fingendos plurimum valebant, & ad eloquendum studio, & labore se maximè comparabant. vt ore rotundo loqui sit artis, & industriæ, ingenium naturæ. Quo patet eos errare, & falli, qui sola natura consumatos poëtas fore se sperēt. nam ingenio, & ore rotundo est opus id est natura & arte, quia alterius altera poscit opem res, & coniurat amicè. floruerunt igitur in utroque Græci, in alt ero tātum Romani: vt multo plus beneficio naturæ quàm suo studio deberent. nam hoc neglecto in quauis alia re magis erant occupati. facile igitur fuit Græcis vincere non repugnantes, vel negligentes potius. & qui laborē limæ ferre nollent. ORE ROTVNDO.] Quid aliud esse putes os rotundum, quàm oratio nem aptam, & ornatam? quod in quarto de Fin. ostēdit M. Tul. his verbis: Ista ipsa, quę tu breuiter regem, dictatorem, diuitem solum esse sapientem, apte, & rotunde, quippe, habes enim à rhetoribus, illorū ista ipsa quàm exilia? & quæ sequuntur. ex quibus apparet oratorem non exilem, non angustam, sed aptam, & copiosam rotundā esse. quòd si forma rotunda negat vllam esse pulchriorem Plato, quid est, cur rotundam orationem pulcherrimam negemus esse? Cum in Bruto Cic. formam eius penè describat, vbi ait. Erantque verborum & delectus elegans, & apta, & quasi rotunda cōstructio. Horatius verò intelligit os rotundum instrumentum, accipiens pro re eam orationem, in quā sit Venus, & pondus, & ars, & rerum decorum, sine quibus speciosam locis fabulam, & moratam recte magis oblectare populū dixit, quàm hæc sine illis. REDIT VNCIA.] Ad quincuncem, illa scilicet, qua de semis dempta, factus erat

quincunx.& ſic reſtituitur ſemis;vel redit, pro accedit ad quincuncem.interpreteris.

Aut prodeſſe volunt,aut delectare poëtæ:
Aut ſimul & iucunda,& idonea dicere vitæ.
Quicquid præcipies,eſto breuis:vt citò dicta
Percipiant animi dociles,teneantq́ fideles.
Omne ſupernacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis cauſa,ſint proxima veris,
Nec quodcunque volet,poſcat ſibi fabula credi.
Neu pranſæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis,
Celſi prætereunt auſtera poëmana Rhamnes,
Omne tulit punctum,qui miſcuit vtile dulci,
Lectorem delectando,pariterq́ monendo.
Hic meret æra liber Soſiis,hic & mare tranſit,
Et longum noto ſcriptori prorogat æuum.
sunt delicta tamen,quibus ignouiſſe velimus.
Nã neq; chorda ſonũ reddit,quẽ vult manus et mẽs.
Poſcentiq́ grauem perſæpe remittit acutum:
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.
Uerum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis,quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura.quid ergo?
Ut ſcriptor ſi peccat,idem librarius vſque,
Quamuis eſt monitus,venia caret:& citharœdus
Ridetur,chorda qui ſemper oberrat eadem.
Sic mihi qui multum ceſſat,fit Cherilus ille,

Quem bis,terq; bonum cum risu miror,& idem
Indignor,quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

AVT PRODESSE VOLVNT, AVT DELECTARE POETAE.] Iam quod attinet ad parandas opes,& ad decorum paucis absoluit. reliquum est, vt de officio nunc agat,quod duplex est:aut enim prodest; aut delectat poeta.Sed hæc ita sunt disiuncta, vt simul esse possint.Poëta igitur,aut alterutrum facit, vt vel prosit, vel delectet:aut simul vtrunque. cuius quidem rei magna est difficultas,& magno indiget studio, & doctrina. ac statim separatim vtriusque generis propriam quandam formulam constituit.vt si monitis iuuare velis,vtaris in præcipiendo breuitate,& cur ita faciendum sit, ostendit. Quia omne superuacuum pleno de pectore manat. Sin delectare cupias,quæ consentanea sint naturæ, & similia vero dicas,aut agas. Quamuis enim poëta non ea dicat,quæ gesta sint,proprium tamen est ipsius ea dicere,quæ verisimile sit,aut etiam necessarium geri,aut fuisse gesta. PERCIPIANT ANIMI DOCILES, TENEANTQVE FIDELES.] Per animos hic vtranque vim naturalem indicauit.Ingenium est enim quod percipit.Memoria,quæ retinet : de qua quidē ratione Cic. primo lib.Academicarum quæstionum,vbi ex Platonicorum sententia de partibus animi sic disputat. Animi autem quæ essent ad comprehendendam ingenij virtutem idonea ponebant,eamque ab ijs in naturam,&,mores diuidebantur.naturæ celeritatem ad discendum, & memoriam dabant,quorum vtrunque mentis esset proprium,& ingenij.ac idem apertius, & pluribus inquit. de Finibus.Animi enim inquit,&eius animi partis,quę princeps est,quæque mens nominatur, plures sunt virtutes.Sed duo prima genera,vnum earum,quæ ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariæ:

alterum earum,quæ in voluntate positæ magis proprio nomine appellari solent.quarum est excellens in animo rum laude præstantia.Prioris generis est docilitas, memoria, quæ ferè omnia appellantur vno ingenij nomine: easque virtutes qui habent,ingeniosi vocantur. Videmus ex his docilitatem, & vim tum percipiendi, tum reminiscendi tributam esse menti: mentem verò animo,vt omnium fons animus intelligatur esse, quare continens hic,pro contento positum est:ac,vt aperte loqueretur, dociles dixit, quod est ingenij: & fideles, quod est memoriæ. OMNE SVPERVACVVM.] Quæ supernacua sunt,effluant necesse est.Verum si pleno de pectore manat, ergo id multum hausit, alioqui plenum non esset.quare multa præcipere, etiam si non omnia capiuntur, non tamen est inutile: Effunduntur enim tantum superflua. Sed Hor.non monet, vt pauca præcipias,sed,vt quodcunque des præceptum, paucis verbis id expedias;ne pectus verborum,non præceptorum plenum ante respuat verba superflua, quàm integram capere sententiam potuerit. Et idcirco dixit. vt cito dicta,nam sensus cito conclusus,nec verbis redundans cito quoque percipitur, & retinetur. Metaphora sumpta est à vase, vel ab eis, qui, cum largè potarint,& iam pleni sint vino,tamen se magis ingurgitant.Per pectus autem memoriam intellige, in qua reconduntur ea,quæ percipit ingenium.Verum illius orationis,quæ longis anfractibus circumscripta sit, non potest memoria postrema verba cũ præteritis contexere.quare cum multa dilabantur sententia non potest retineri:possumus etiam pectus ipsum intelligere propter cor,in quo prudentiam esse volunt, quod Homer. ostendit interprete Eustathio.cum λάσιον κῆρ ait. Sed etiam eodem teste λάσιον στῆθος,id est prudens pectus dicitur ab eodem. quod Hor.intelligens ad Tibullum scribit. Non tu corpus eras sine pectore. in Tuscul.i. M.Tul. cor ipsum,

tractauit hunc locum? inquit enim: Aut prodesse volunt, aut delectare poëtæ. Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ. quicquid precipies, ficta voluptatis causa, expertia frugis, austera poémata, Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. Lectorem delectando, pariterque monendo. quàm copiosa, quàm iucũda, quàm ornata variatio? SOSIIS.] Meminit horum etiam in vltima Epistola primi libri. Scilicet vt prostes Sosiorum pumice mundus. SVNT DELICTA TAMEN.] Alternatim hactenus est locutus de vtraque officij parte poëtarum. nunc de sola voluptate, de qua quidem ita scribit, vt reprehendat potius illa vitia, quibus poëtæ minus delectent, quàm vt doceat virtutes, atque id facit, vt magis excitet ad diligentiam Pisones, & maximè quòd ea, quæ voluptatis tantùm causa fiunt, oportet summa esse: neque statuit tamen humanam naturam falli non posse, sed esse leuibus quibusdam erroribus ignoscendum: Tantus est enim reliquorum splendor, vt tenues quædam maculæ vix appareant. aut igitur poëta est eiusmodi, vt vel per incuriam, vel per imbecillitatem humanæ naturæ aliquando leuiter offendat, & longo operi aliquas paruas maculas aspergat, aut sæpius perperam, quàm rectè agat, illi ignoscẽdum est omnino. quippe qui potius errat vt homo, quàm vt poëta. huic verò non item. nam peccat, non vt homo, verum vt pessimus poëta. ac vtriusque attulit exemplum. Nam Homerus est ille poëta, cuius in carmine omnia ferè nitet. & Chœrilus is est, cuius in poëmate vix duo, aut ad summum tria nitere videantur quæ. CVM RISV MIROR ET IDEM INDIGNOR. Euenire solet, vt si casu quempiam ineptũ hominem, & dementem proferre verbum aliquod prudenter audiamus, miremur id tanquam nouum, & insolens, ac indignemur, quod is tam raro quidquam boni dicat, & versus tamen facere omnino velit. Solet indignatio mouere quendam risum. Ostendit id

Cicero de Or. lib. primo dicens. potes oratores putare eos, quos multas horas expectauit, cum in campum properauit, & ridens, & stomachans Sceuola. illa igitur admiratio cum risu contemptum significat, qui nascitur ex indignatione. & hæc nõ inde, quod recte quidquam sed quod perperã ferè semper, nec tamen scribendi curã omittit, at, dicet aliquis. QVANDOQVE BONVS DORMITAT HOMERVS.] Fatetur Hor. Sed ignoscendum putat, si in longo opere imprudentes nos somnus aliquando capiat: homines enim sumus. sed vt casu fit, vt Cherilus quandoque recte, sic vt Homerus quandoque non satis recte scribat, quare hic venia, ille dignus est pœna. Quint. in decimo causas refert, cur magni nonnunquam labi videantur. nam, inquit: Et labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare Demosthenes, Horatio verò etiam Homerus videatur. magni enim sunt, homines tamẽ. Sed nemo planè vidit adhuc ex Aristotelis sententia tractatum esse hunc locum ab Horatio. Affirmat enim Arist. in Poët. in bono poëta aliquid absurdum esse tolerabile, cuiusmodi est expositio Vlyssis in littore Ithacensi; quod Homer. in XIII. Odysseæ scribit, quo enim fato viro curarũ pleno, & omniũ vigilantissimo tum νήδυμος ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε, νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς? quo sic opprimeretur, vt, cum diu iam dormisset, in littore cum omnibus suis muneribus à Phæacibus exponeretur, & illic dormiẽs adhuc relinqueretur? hoc & similia ignoscenda illi putat Arist. cum virtutum splendore obruantur. eius verba sunt hæc: ἐπεὶ καὶ τὰ ἐν Ὀδυσσείᾳ ἄλογα, τὰ περὶ τὴν ἔκθεσιν, ὡς οὐκ ἂν ἦν ἀνεκτὰ, δῆλον ἂν γένοιτο, εἰ αὐτὰ φαῦλος ποιητὴς ποιήσειε. νῦν δὲ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς ὁ ποιητὴς ἀφανίζει ἡδύνων τὸ ἄτοπον:

Vt pictura poësis erit: quæ si proprius stes,

Te capiet magis:& quædam si longius abstes,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit:

ABSTO.] Rarum est omnino verbũ. IVDICIS ARGVTVM.] Illud est poëma summum,& omni laude cumulatum, quod quo sæpius legitur, eo delectat magis. nihil est autẽ tam rude, neque tam negligenter scriptũ, quod semel legi non possit. Sed abijcitur postea,& contemnitur.& ideo amat obscurum. nam, si acutius cernatur, eius vitia deprehenduntur.

O maior iuuenum, quamuis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium,& tolerabile rebus
Recte concedi consultus iuris,& actor
Causarum mediocris; abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cassellius Aulus:
Sed tamen in pretio est. mediocribus esse poëtis
Non homines, non dii, non concessere columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum vnguentum, & Sardo cũ melle papauer
Offendunt: poterat duci, quia cœna sine istis:
Sic animis natum, inuentumq; poëma iuuandis,
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.

Quare tibi perspectum sit, o maior Iuuenum, in poëmate mediocritatem, non vt cæteris in rebus, tolerari. O MAIOR IVVENVM.] Non rectè Grammatici docẽt comparatiuum quandoque genitiuum regere loco ablatiui, vt manuum fortior est dextra. Aiacum fortior est

Telamonius.Sic enim fieret,vt dextra, & Aiax Telamo nius ſuperarēt ſe ipſos.quod pugnat cum natura. Cum enim manum dico, vtranque dico, & ſi dextra ſit fortior vtraque,ſe ipſa fortior ſit,neceſſe eſt. Quod natura non patitur.Partitiue igitur ita loquimur, vt ex manibus, & ex Aiacibus, & ex iuuenibus maiorem alterum altero intelligamus. MEDIOCRIBVS ESSE POETIS.] Poëtas mediocres,non homines,non di,ac ne co lumnæ quidem ipſæ ferre poſſunt.Non homines,qui fabulas ſpectant.non di,in quorum feſtis agebantur. non columnæ, id eſt theatra,in quibus erant apparatus, id eſt ſcenæ. VT GRATAS INTER MENSAS.] Non ſine cauſa gratas dixit:cũ enim deeſt aliquid,foris à ſcita voluptate,compenſare volunt menſæ vitium.Verum cum ſine alia voluptate menſa ſit grata,carere poſſet his omnibus,etiam ſi eſſent optima. quid? cum ſint peſſima? Quo igitur menſa eſt iucundior, eo iucundiora ſint ea,quæ ad augendam iucunditatem adhibentur. ET CRASSVM VNGVENTVM.] Quod caput ſibi vngerent antiqui in cœnis, vel Horatio teſte multis in locis patet.Craſſum verò dicitur vnguentum odore obtuſo,neque ſatis acuto.Plin.lib.xiij. capite.i. Vnguentũ hoc craſſiſſimum.Et paulopoſt:Omnia autē acutiora fiunt coſto,Amomo,quæ maximè nares feriunt. Craſſiora myrrha, ſuauioraque. SARDO CVM MELLE PAPAVER.] Plin.lib.xix.cap. viij. circa finem, papaueriſatiui tria genera eſſe dicit:Candidum, cuius ſemen toſtum in ſecunda menſa cum melle apud antiquos edebatur.Sardum autem mel,& Corſicum propter amaras herbas deterrimum eſt.Virgilius Egloga ſeptima.

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Trium hic ſenſuum voluptatē attigit:aurium, narium, palati. POTERAT DVCI QVIA COENA SINE ISTIS.] Copioſa menſa facit,vt in longius tempus cœna ducatur.vnde in Epiſt.breuem cœnam dixit, & hoc

etiam in libello mensam breuem . Ergo cœnam intelligit,& copiosam , & suauem. SIC ANIMIS NATVM INVENTVMQVE POEMA IVVANDIS.] Duas esse naturales causas scribit Arist. ex quibus orta sit poësis.prima est,quod insitum est homini , vt etiam à puero imitetur aliquid,& in hoc ab alijs animalibus differt quod aptissimus omnium sit ad imitandum,atque hinc discere incipiat, tum quod nemo sit , quin imitatione delectetur.quod igitur homo delectetur imitandis rebus,& ad eam rem natura sit aptissimus,poësi, quæ tota est ex imitatione,& plena voluptatis,sese maximè oblectauit. voluptas igitur naturalis ad illud opus homines excitauit , quod natura tantum oblectare posset. Quare nisi id efficiat quàm optimè , prorsus contemnitur.Causa verò est , quod ea voluptate commodissimè carere possumus:neque verò poëtę in ea re tantum laborarent,nisi se voluptatem suis fabulis allaturos populo sperarēt . Quinimo omnes fructus laborum suorum in hoc positos esse putant , si legentes , aut spectantes quàm maximè afficiant.non ergo suæ tantum voluptati seruiunt poëtæ,sed ex aliena illi pendent.Quis neget igitur poëma esse natum & inuentum,ad animos iuuandos?an à principio credendum est aliud quesitum esse ab illis rudibus , & incultis inuentoribus huius studij, quàm vt risum mouerent? Consecuta est deinde vtilitas;cum enim iam grauiores viri,& doctiores incumberent in ea studia,dignitatis illi suæ statuerunt esse,cum leuitate voluptatis admiscere grauitatem sentētiarum, & optimam institutionem vitæ.is igitur bonus est poëta,qui præstat vtrunque munus. hic verò de priore loquitur,& ad ortum huius facultatis respicit,de vtilitate cuius,quæ ex arte profecta est,mox dicetur.Danda igitur est opera,vt quod solius voluptatis iam comparatū sit,eam afferat quàm maximam. Sin minus:excludetur. Quicquid est enim quo nullo nostro in commodo care

re possimus, id magnitudine voluptatis nos capiat necesse est.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusq́ pilæ, discíue, trochíue quiescit:
Ne spissæ risum tollant impune coronæ,
Qui nescit, versus tamen audet fingere. quid ni?
Liber & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, vitioq́ remotus ab omni,
Tu nihil inuita dices, faciesq́ Minerua.
Id tibi iudicium est: ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Metij descendat iudicis aureis.
Et patris, & nostras: nonumq́ prematur in anum.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ediderìs nescit vox missa reuerti,

LVDERE QVI NESCIT.] Hic error opinionis latissime patet, & est in omnibus poëtis, vt suis scriptis nimium delectentur. quod Arist. in nono Ethicorum, cap. vij. declarat μάλιστα δ᾽ἴσως τοῦτο περὶ τοὺς ποιητὰς συμβαίνει· ὑπεραγαπῶσι γὰρ οὗτοι τὰ οἰκεῖα ποιήματα, στέργοντες ὥσπερ τέκνα & M. Tul. in quint. Tusc. Poëtam etiam tragicum, quàm bonum, nihil ad rem: in hoc enim genere, nescio quo pacto magis, quàm in alijs suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognoui poëtam, qui sibi non optimus videretur. hinc est, quod multi laborant in hoc genere, nec suam norunt dementiam. nam si iusti iudices rerum suarum essent, abstinerēt ipsi quoque ab eo opere, quod facere se nescire cognoscerent, vt qui campestribus abstinet armis, quia nesciat ludere. in quo studio Lolliū laudat Hor. in Epist. sic. Scis quo clamore coronæ Prælia sustineas campestria. INDOCTVSQVE PILAE.] Herodotus in Clio pilam tradit à Lydis in-

uentám esse,& alia permulta. Cùm enim fame vniuersa Lydia premeretur, precibus à Dis frustra remedium petiuit.vnde alius aliud excogitabat, quo alternis diebus ludentes,& quærentes cibum tempus traducerent. Tityum pila studiose delectatum scribit M.Tul.in secũdo,& tertio de Oratore. DISCVS.] Sphęricam habũ isse formam plures tradunt. Quare Solem ipsum,fuere, qui discum appellarent.Erat autem lapideus; aut ferreus,aut ęreus:perforatus etiam, vt loro transmisso iactari posset.appellatur ab Homero solos. Discus verò per pleonasmum à δίκω dicitur,quod iacio significat.Lucianus verò in Anacharside,vel περὶ γυμνασίων eius formam videtur effingere.his verbis.ἴδες δὲ καὶ ἄλλοτι ἐν τῷ γυμνασίῳ χαλκοῦν περιφερὲς ἀσπίδι μικρᾷ ἐοικὸς ὄχανον οὐκ ἐχούσῃ, οὐδὲ τελαμῶνας,καὶ ἐπειράθης γε αὐτοῦ κειμένου ἐν τῷ μέσῳ. καὶ ἐδόκει σοι βαρὺ, καὶ δύσληπτον ὑπὸ λειότητος. ἐκεῖνο τοίνυν ἄνω τε ἀναρρίπτουσιν εἰς τὸν ἀέρα,καὶ ἐς τὸ πόῤῥω φιλοτιμούμενοι ὅστις ἐπὶ μήκιστον ἐξέλθοι,καὶ τοὺς ἄλλους ὑπερβάλλοιτο.καὶ ὁ πόνος οὗτος ὤμους τε αὐτῶν κρατύνει,καὶ τόνον τοῖς ἄκροις ἐντίθησιν cum περιφερὲς,& parmæ simile absque loris,cumque δυσληπτον fuisse dicat,quod non facile capi,aut teneri posset, planá fuisse forma & rotõda sine loro videtur ostẽdere. TROCHI VE.] Ligneus est trochus ad ludum puerilem excogitatus.dicitur autem à τρέχω.vnde pro rota solet accipi,vt nõ absurdum esse putem partem pro toto, id est rotam pro curru intelligere:neque enim mihi verisimile videtur poëtam ex ludo puerili hoc simile voluisse ducere, ad poëtarum ineptias exprimendas: Sed ex eo ludo,in quo pulchrum sit viris excellere. nisi dicas à minori grauius voluisse vitium arguere. quòd si pueri caueant,nequid faciant inepte, multo magis ea cura viros debet mouere.quod quidem non displicet. de Trocho illud etiam scito fuisse ligneum instrumentum ad cruciãdos seruos inuẽtum.de quo Suidas. τροχὸς ξύλινόν τι ἐν ᾧ στρεβλούμενοι οἱ οἰκέται ἐκολάζοντο.IMPVNE CORONAE.] Vel

hoc eſſe durum,Ea Dea eſt inuẽtrix artium,& mater in duſtriæ. Quare legimus apud Pind.VII.Ode Olymp.cũ naſcituram eam præſenſiſſet Apollo, præmonuiſſe Rho dios,vt ipſi primi omnium ſacra facerent illi Deæ.quòd apud eos habitatura eſſet,qui eam primi cultu ſacro co luiſſent.cum vero illi diligenter id facere conarentur, tamen igne non adhibito, ritè ſacrum non fecerunt. quocirca Minerua noluit apud illos habitare, ſed ta-men,vt eorum pietati gratiam referret, tribuit illi po-pulo omnium artium induſtriam, vt his verbis Pinda-rus oſtendit: αὐτὰ δέ σφισιν ὤπασε τέχναν πᾶσαν ἐπιχθονίων γλαυκῶπις ἀρισοπόνοις χερσὶ κρατεῖν Sed non arbitror eſſe neceſſarium multis confirmare numen illud induſtriæ præeſſe: notum eſt enim omnibus. Cum autem ingeni um debile ſit,quod non adiuuetur arte, & alatur indu-ſtria,conatur Hor.ad ſtudia,& labores poëtas Romanos excitare. ID TIBI IVDICIVM EST.] Ne Piſo-nem ſegnitiæ videatur accuſare,dicit illum ita ſentire, & habere eandem opinionem. Ex quo vult ſignificare eum non negligenter colere poëſim. Sed tamen illam quoque ad ſuum ſtudium curam eſſe adiungendam monet,vt nolit de ſuis ſcriptis ſuo potius iudicio ſtare, quàm aliorum doctorum,& amicorum hominum. Vix enim dici poteſt, quàm facile ſibi quiſque aduletur, quámq; ſuo faueat ingenio.Quare nihil tam ſuſpectum nobis eſſe debet,quàm noſtrum ipſorum de nobis iudi cium.Conſulendæ ſunt igiiur peritiores aures, & præ-ſertim fidelium amicorum. Nemo enim tanta vi pollet ingenij,nec artem ita didicit,nec exercitatione tantum laborauit,qui aut aliquid de intentione remittens, aut iam defatigatus,aut quia denique ſit homo,non laba-tur aliquando. NONVNQVE PREMATVR IN AN NVM, MEMBRANIS INTVS POSITIS.] De hoc numero multa,& ea quidem docte Cœl.Rodig. diſpu-tauit,oſtendens eum ab antiquis pro quolibet numero

poni ſolitum.atque cum multis alijs hunc quoque locum teſtatus eſt ita eſſe.in quo quidem Homerum poẽtę Latini,vt in multis alijs,videntur imitari.quòd is maxime nouenario numero vti conſueuit. Hinc Timauus per ora nouem,it mare proruptum, cum quot eſſent fluminis illius ora inter ſcriptores parum conſtet. Et nouies ſtix interfuſa coërcet.Siquid igitur ſcripſerimus id erit diu comprimendum.vt ad illud ſæpe,vt noui redeamus,& tanquam opus alienum inſpiciamus, & acriore lima coërceamus. Vox enim ſemel emiſſa neſcit uerti.Quare ſic librum ſuum,ne velit exire, monuit in Epiſt.Non erit emiſſo reditus tibi.Et alibi.Semel emiſſum volat irreuocabile verbum.

Syluestreis homines ſacer interpresq; Deorum
Cædibus,& victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigreis,rapidosq; leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere ſono teſtudinis,& prece blanda
Ducere quò vellet.fuit hæc ſapientia quondam,
Publica priuatis,ſecernere ſacra profanis:
Concubitu prohibere vago,dare iura maritis:
Oppida moliri,leges incidere ligno.
Sic honor,& nomen diuinis vatibus,atque
Carminibus venit.poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæusq; mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit.dicta per carmina ſortes,
Et vitæ monſtrata via eſt:& gratia Regum
Pierijs tentata modis,ludusq; repertus.
Et longorum operum finis,ne fortè pudori

Sit tibi Musa lyræ solere, & cantor Apollo.

SYLVESTRES HOMINES.] Hactenus de ratione delectandi:nunc de vtilitate.quod qui non videat quo modo cum superioribus hæc hæreant, nunquam videbit.Sed est ea pars officij, quæ pertinet ad vtilitatem. quæ voluptatem ipsam iure consecuta est.Prius enim à poëtis rationem voluptatis habitam fuisse nuper osten dimus,quàm voluptatis.Et ideo dictum est.
Natum esse animis inuentumque poëma iuuandis. Sed
postea tulit eloquium insolitum facundia præceps.
Vtiliumq; sagax rerum,& diuina futuri.
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis. Voluptatis autem afferendæ rationem præceptis non docet,sed exemplis esse quàm maximam ostendit: Hæc enim facultas syluestres homines, & feros deduxit ad ciuilem cultum. Sed quoniam in ea oratione, quæ de poëtis à me scripta est,de his satis copiose disputaui, nihil hic longum faciendum puto,cum præsertim non hic orato ris munus,sed interpretis susceperim. Orpheum Oeagri filium fuisse nonnulli volunt:Asclepiades verò ex Apolline,& Calliope Hymenæum,Ialemum, & Orphea natos scripsit.Qui quidem error ex eo natus est, quòd poëtæ,vt reges per Iouem regnare putant, quòd illius est proprium regnare, & est rex hominumque Deúmque;sic musicos per Apollinem cantare. Quare Pindarus in Pythijs ἐξ ἀπόλλωνος φορμιγκτὰς ἀοιδᾶν πατὴρ ἔμολεν ἐυαίνητος ὀρφεὺς hoc est, vt vult Ammonius musicus Apollinis:Pherecides ex Apolline,& Polymnia. Herodo rus verò ex Oeagro & Polymnia vult esse natum.Asciuerunt autem sibi eum socium Argonautæ iussu Chiro nis propter Sirenas:quas illi sine Orpheo non potuissent effugere. mirum est in hoc tãtam excellentiã fuisse, cum nullum habuisset,quem imitaretur: sic enim Plut. de musica ὁ δὲ ὀρφεὺς οὐδένα φαίνεται μεμιμημένος· οὐδεὶς γὰρ-

πω γεγένηται, εἰ μὴ οἱ τῶν αὐλῳδικῶν ποιηταί: τούτοις δὲ κατ' οὐθὲν τὸ ὀρφικὸν ἔργον ἔοικεν. illud omittendum non puto, quod in primo de Natura Deorum ſcribit M. Tul. Ariſtotelem negare Orpheum poëtam vnquam fuiſſe, & hoc Orphicum carmen Pythagoricos ferre cuiusdam Cecropis fuiſſe. INTERPRES QVE DEORVM.] Vates nos appellamus poëtas, vt qui diuini habeantur, & furore ſint afflati, qui μανία dictus eſt à Græcis: Refert enim Plato in Phædro veteres Græcos μανικὴν nominaſſe, quam iuniores ἀπειροκάλως ταυ interiecto, μαντικὴν: Nã quod nos in prophetis ſpiritum vocamus, furorem illi nominabant. DICTVS ET AMPHION.] Eurip. in Phœniſſis ἅ ποτε πύλα κλείθροις χαλκόδετά τ' ἔμβολα λαϊνέοις ἀμφίονος ὀργάνοις τείχεος ἥρμοσται. neque tamen Amphion vrbem, ſed Cadmus ædificauit. Amphionem verò cum Zetho fratre illam mœnibus cinxiſſe ferunt. Sepultus autẽ erat Amphion Thebis ad portam βορείαν. Aeſchylus in ἑπτὰ ἐπὶ θήβαις. τὸν δὲ πέμπτον αὖ λέγω πέμπταις προσταχθέντα βορείαις πύλαις τύμβον κατ' αὐτὸν διογενοῦς ἀμφίονος. Hic, vt de muſica ex Heraclide Plutarchus ſcribit primus inuenit cytharæ cantum, & poëſim. id quod in actis Sicyonum confirmatur: quæ ex his Plut. verbis melius cognoſces, & ſimul quibus ortus ſit parentibus. ἡρακλείδης δὲ ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν ἐν μουσικῇ τὴν κιθαρῳδίαν, καὶ τὴν κιθαρῳδικὴν ποίησιν πρῶτόν φησιν ἀμφίονα ἐπινοῆσαι τὸν διὸς, καὶ ἀντιόπης, τοῦ πατρὸς δηλονότι διδάξαντος αὐτόν, πιστοῦται δὲ τοῦτο ἐκ τῆς ἀναγραφῆς τῆς ἐν σικυῶνι ἀποκειμένης, δι' ἧς τάς τε ἱερείας τὰς ἐν ἄργει, καὶ τοὺς ποιητάς, καὶ τοὺς μουσικοὺς ὀνομάζει. Dictus & Amphion mouere ſaxa, ob hoc, vt de Orpheo dictum eſt, quia rudes homines, & expertes rationis, & qui tanquam ſaxa viderẽtur carere ſenſu, ducebat tamen ſuauitate cantus & ſapientia quò volebat. FVIT HAEC SAP.] Hæ primum ex poëtis erant vtilitates, hi capiebantur fructus. POST HOS INSIGNIS HOMERVS. Quibus rebus occupati eſſent ante Homerum Poetæ, declara-

tum est:qui autem ante hunc monstrarit quo versu regum & ducum gesta scribi possint,nullum omnino fuisse demonstratum est supra . Aristoteles verò vbi sic inquit:τῶν μὲν οὖν πρὸ ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα,εἰκὸς δὲ εἶναι πολλά.ἀπὸ δὲ ὁμήρου ἀρξαμένοις ἐστὶν, οἷον ἐκείνου ὁ μαργίτης καὶ τὰ τοιαῦτα,nõ de solo ridiculo poëmate,sed etiam de heroico intellexisse puto,quod tanquam concessum noluit exprimere;quanquam etiam Margites in genere demonstratiuo versabatur, vt Ilias , & Odyssea: sed humiliores personas imitabatur,vt comœdię speciẽ ostenderet , vt illa tragœdiæ. Negat igitur Aristoteles ante Homerum tale poëma scriptum extare,quo cuiusquam facta celebrarentur aut reprehenderẽtur.M.Tullius verò in Bruto coniecturis ducitur vt credat fuisse genus aliquod poëtarũ,cum dicit , Nec dubitari potest quin fuerint ante Homerum poëtæ,quod ex eis carminibus intelligi potest,quæ apud illum , & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur. Nam si quæ de alijs dicuntur probasset, clarioribus argumentis vsus esset , & exemplis id cõfirmasset. TYRTAEVSQVE MARES.] Hunc Atheniensem multi fuisse dicunt,& ducem Lacedæmonijs,cum Messenios superare non possent, esse datum.Et hæc est vulgaris historia.Sed in octauo lib.Strabo elegorum ipsius Tyrtæi ductus auctoritate ostẽdit hoc fieri non potuisse.Quandoquidem ipse facit se Erineatem.nam in εὐνομία , quod opus elegis carminibus à se scriptum reliquit,hæc ait.

αὐτὸς γὰρ κρονίων καλλιστεφάνου πόσις ἥρης
ζεὺς ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν.
οἷσιν ἅμα προλιπόντες ἐρινεὸν ἠνεμόεντα.
εὐρεῖαν πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

Non igitur Philochoro,aut Callistheni, & alijs compluribus credendum est Athenis cum, & Aphidnis aduentasse scribentibus. Sed vndecũque præsto is fuerit Spartiatibus,elegiarum scriptor fuit,& μέλη fertur incitas

se lacedæmonas, &,vt pugnantes cum Messenijs vincerent,effecit.hæc ad verbum ex Suida.qui præterea tradit eundem reip.rationem, & formam elegis scripsisse, & libros quinque τῶν πολεμιστηρίων μελῶν. Quamuis autem Hor.Tyrtæum coniungat cũ Homero,non tamen eum vult Epicum fuisse:neque scripsisse res gestas ducum,& tristia bella.Sed accendisse animos ad pugnam. DICTAE PER CARMINA SORTES.] Responsa, & Oracula:Notum est enim Apollinẽ hexametro semper carmine solitum respondere. ET VITAE MONSTRATA VIA EST.] Nam Tyrtæus εὐνομίαν scripsit: Theognides verò,& Phocylides quid aliud homines, quàm præcepta vitæ docuerunt?non'ne leges etiam carminibus scriptæ sunt ab antiquis? Nam de Solone Plutarchus ait,multorum opinionem fuisse ab eo versibus scriptas esse leges.Quarum principium hoc esse tradũt.

πρῶτα μὲν εὐχόμεθα Διῒ κρονίδῃ βασιλῆι
θεσμοῖς τοῖς δὲ τύχην ἀγαθὴν,καὶ κῦδος ὀπάσσαι

Arist.verò νόμων ποίησιν posuit in Poëticis suis , at non ij solum,quibus propositum id vnum fuit, vt præcepta viuendi traderent,sed alij ferè omnes officia vitæ non minus honestate , quàm voluptate dirigunt. ET GRATIA REGVM.] Quid magis optauit Alexander Macedo ? quàm dari sibi aliquem Homerum,qui res à se gestas æternitatis memoriæ cõmendaret: quàm multi reges, & alij principes viri poëtas apud se magno habuerunt in honore ? LVDVSQVE REPERTVS.] Ludos eos intelligit fortasse , quos in secundo Georgicorum Virgilius,vbi sic ait.

Non aliam ob culpam,Baccho caper omnibus aris
Ceditur,& veteres ineunt proscenia ludi.
Præmiáque ingenijs pagos,& compita circum
Thesidæ posuere,atque inter pocula læti
Mollibus in pratis vnctos saliere per utres.

Vbi Seruius inquit.primi ludi theatrales ex liberalibus

nati sunt.& idem Virg.ibidem inquit.

Nec non Ausonij Troia gens missa coloni
Versibus incomptis ludunt,risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cauatis,
Et te Bacche vocant per carmina læta,tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.

Videtur autem Horatius in Epistolis ad Augustum comediæ originem innuere.cum dicit.

Agricolæ prisci,fortes,paruoque beati,
Condita post frumenta,leuantes tempore festo
Corpus,& ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum socijs operum,& pueris,& coniuge fida
Tellurem porco,Syluanum lacte piabant
Floribus,& vino Genium memorem breuis æui.
Fescennina per hunc inuenta licentia morem.
Versibus alternis opprobria rustica fudit.
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter,donec iam sæuus apertam
In rabiem verti cœpit iocus,& per honestas
Ire domus impune minax,doluere cruento
Dente lacessiti,fuit intactis quoque cura
Conditione super communi.quin etiam lex,
Pœnaque lata,malo quæ nollet carmine quemquam
Describi:Vertere modum formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.

Hæc euenisse comicis nemo est,qui nesciat,nam ea maledicentia nihil ad Tragœdiam . Neque Baccho hic sacra, sed Terræ, & Syluano,& Genio porco,lacte,floribus & vino fiebant,non hirco.fescenninã verò licentiã inuentam per hunc morem dicit,quia,vt ex Virg. vidimus,Latini Græcos imitati sunt.Vnde fescennina licentia,id est quę similis esset licentię fescenninæ quæ in Latio iam fuit:nam hic non ponit historiam Latinam, neque fescennina licentia.apud Romanos ita processit,vt lege cohiberetur. nam de Lege censoria Petrus Crini-

tus somniasse mihi videtur, cum id nulla fretus auctoritate dicat, cum přsertim apud Latinos non deessent, qui dentes acuerẽt in ciues Romanos. At Hor. dicet aliquis & reliqui veris nominibus parcebant, non tamen ad bene dicendũ delectãdũque redacti. Verũ quo tẽpore lata est ea lex? num Laberij? num Martialis? qui tanto post Horatiũ tã multos lacerauit ipse, & alij permulti? At Hor. communem ostendit comicorum maledicendi morem: cuiusmodi fuit apud Græcos. Petrus Crinitus verò dicit apud nostros quosdam illos esse imitatos, neque Comicos solum, sed etiam Satyricos, & Mimos. Nam, Plautus, & Terentius ab hac licentia semper abstinuere. Et ante hos Ennius. Sed cur non animaduertamus de cõmuni ratione poëtarum hic Horatium locutum esse? Et cur si de alicuius generis principio loquatur, non de certo potius, & vero principio, quàm de dubio, & quod ante se aliud habeat principium, loqui suspicemur? an verebimur ne hæc omnia prius apud Græcos facta non sint, cum poëtas habeamus, cum historias legamus, & quidquid hic ab Horatio scribatur, Græcis cõsentire prorsus videamus? Sed illud mihi pergratum foret, si Petrus Crinitus, aut quiuis alius mihi declarasset Næuium, qui præter alios Latinos mordax numeratur, fescennino vsum esse versu. aut Lucilium, aut quenuis alium poëtam. Quando vel ante Liuium Andronicum incomptam illam & rudem formam fescennini carminis relictam inquit à Romanis histrionibus. Liuius in septimo. at maledicentiam imitati sunt non versum. Nũc audio, sed cur nõ Aristophanis potius, & Cratini? vt fecisse Lucilium retulit Horatius: An paruum est hoc testimonium Horatij? non fescenninos poëtas, sed veteres Comicos Græciæ nostros imitatos esse? fescenninam igitur licentiam Horatium dixisse putes exempli causa, vt per hanc notiorem obscuriorem illam intelligas, quæ fuit à principio Græcorum. LONGO-

RVM

RVM OPERVM FINIS.] Quid aliud esse finem longorum, honestorumque laborum putemus, quàm æternam rerum gestarum memoriam? nō enim patiuntur poëtæ claros viros interire: nam de rusticorum laboribus haudquaquam intelligendum puto.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́ puer: sudauit & alsit,
Abstinuit Venere, & vino. qui Pythia cantat
Tibicen didicit prius, extimuitq́ magistrum.
Nunc satis est dixisse, ego mira poëmata pango.
Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est,
Et quod non didici, sanè nescire fateri.

NATVRA FIERET.] Constituto iam artem esse necessariam, confert eam etiam cum ipsa natura, vt ostendat neutram sine altera quicquam valere. tamē Cicero pro Archia non parum mihi naturæ tribuere videtur. Sic enim inquit: Ego multos homines excellenti amimo, ac virtute fuisse, & sine doctrina naturæ ipsius habitu propè diuino per se ipsos, & moderatos, & graues extitisse fateor. Etiam illud adiungo, sæpius ad laudem, & ad virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam: atque idem contendo, cum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædā, & confirmatio doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum, ac singulare solere existere. Quint. verò in oratore summo plus arti tribuit, quàm naturæ, contra in mediocri plus naturæ. Verum Pindarus quod ἑαυτὸν αὐ λί-

γει αὐτοδιδάκτοι naturam doctrinæ prefert. illius autem verba hæc sunt in Epharnio stum Opuntium. τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν: πολλοὶ δὲ διδακταῖς ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος ὤρουσαν ἀρέσθαι: ἄνευ δὲ θεοῦ σεσιγαμένον γ' οὐ σκαιότεροι χρῆμ' ἕκαστον. quorum sententia est; non vt natura per se posit opera perficere; verum si magnus sit eius habitus, arte assumpta, preclarum fit, & excellens quiddam. Ars vero, & institutio per se nihil potest efficere, quod in lucem sit proferendum. itaque vt Hor. contra eos disputauit, qui in natura putant esse omnia, ac eam sine studio valere nihil statuit. Sic Pindarus contra eos, qui omnia ponunt in arte, quam negat, nisi coniuncta sit cum optima natura, quicquam efficere, quod tacendum non sit potius, quàm prædicandum. Nam & si gloriatur ipse natura se multum valuisse, et sine doctore, quantus esset, extitisse, non tamen negat suo studio, & suo labore se perfecisse, vt artis ignarus nō esset: dixit enim se αὐτοδίδακτον, non ἀπαίδευτον. qui verò sunt ingenio rudi, & penitus absurdo, nulla vnquam arte, nullaque institutione probabiles esse poterunt. Confirmat hoc M. Tullius in sec. Tusc. Vt agri non omnes, inquit, frugiferi sunt, qui colūtur, falsumque illud, ac improbè etsi in segetem deteriorem datæ sunt fruges, ipsæ tamen suapte natura enitent, sic animi non omnes culti fructum ferunt. Sed rursus vt in eodem simili versemur. Vt ager quantumuis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina quātumuis acutus animus. Itaque est vtraque res vna sine altera debilis. Sed vt ex Mar. Tullio, & ex Quintiliano & vero ex ipsa re constare video, naturæ bona sine vllius artis adiumento possunt aliquid: studiū verò, & ars, nisi socia natura, nihil omnino valet. Nec eam vim habet, vt in Bruto scribit M. Tullius vt totum aliquid, cuius in ingenijs nostris pars nulla sit, pariat, aut procreet. Sed vt ea, quæ sunt orta iam in nobis, & procreata educet, atque confirmet. In secundo quoque

de Oratore in eandem ſentētiam hæc ſcribit: Neque tamen ignoro, & quæ bona ſint, fieri meliora poſſe doctrina, & quæ non optima, aliquo tamen modo acui, & corrigi poſſe. Sed quid tandem Ariſtoteli reſpondebimus? qui ait ὅτι εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ quod non neget artem eſſe neceſſariam, niſi forte delyraſſe eum putemus, qui tanta cum diligentia de ea ſcripſerit. Verū ſenſit artem ſuam niſi optimis ingeniis nō eſſe vlli profuturam. Statuendum eſt igitur optimam naturam educandam eſſe, & confirmandam diligenti ſtudio, & exercitatione. Plutarchus de Puerorum educatione ſcribit cōmunia, & neceſſaria eſſe quibuſuis artibus, & ſcientiis hęc tria: φύσιν, λόγον, ἔθος, ac ita ſe ipſe interpretatur neque, ex his, vna ſublata, reliquas eſſe integras putat. neque verò hic omiſſa eſt exercitatio. cū dicat. MVLTA TVLIT, FECITQVE PVER.] Artem enim eſſe doctrinam, & exercitationem intelligunt. Hic oſtendit ad ſummam poëtices facultatem non poſſe perueniri, niſi per ſumma ſtudia. & per ſummos labores. Meta pro fine poſita eſt, ad quam qui primus curſu peruenit, præclaro virtutis præmio decoratur. Eſt autem finis curriculi meta, in qua eodem curſu ſæpe repitito, quàm proxime flectenda mirum erat, & artificium, & ſtudium, vt euitato periculo ſpatiū quàm poterant breuiſsimum decurrerent. finis autem in ſtudiis poëtices eſt excellere, vt vndique totus ſit perfectus. Qui ſtudet igitur optatam contingere metam, ne credas eum temere nunc primum ingenii ſui viribus fretum, & furore agitatum in ſtadium ingredi. id eſt ſcribere poëmata. Sed à teneris cœpiſſe prima præcepta diſcere & diu ſe exercuiſſe, & ſobrietate, & continentia cauiſſe ne retunderet aciem ingenii ſui. PYTHIA CANTAT.] De Pindaro videtur eſſe dictum, quippe qui Pythia ſcripſit, & princeps Lyricorum fuit. Et quamuis gloriari ſoleat ſine vllius inſtitutione, & doctrina ſe tantum extitiſſe, didicit

tamen à patre inflare tibiam.Deinde à Laſo Hermione Melico poëta lyricam facultatē,et extimuit magiſtrum Quid ? quòd etiam Simonidem fertur audiſſe? fortaſſe nunc Hor.ob id eum voluit indicare, vt oſtēdat ne Pindarum quidem in lyricis proficere potuiſſe nullo ſtudio,nulloque magiſtro. Quod tamen ſi de quouis tibicine malis intelligere, nihil moror. illud mihi certe cum omnibus cōſtare puto, Horatium hic voluiſſe concludere aut exemplo,aut ſimili poëtis bonis exercitationem eſſe neceſſariam. NVNC SATIS EST.] Carpit ignauiam ſui temporis, cùm tamen Romæ nullo vnquam tempore præſtantiora viguerint ingenia: Neque laus poëtica in tanta luce viſa fuerit. Sed eſt veriſimile non defuiſſe multos,quos iure poſſet accuſare,vel, ſi libeat quoniam præcipuam curam de tragœdia videtur in hoc opere ſuſcepiſſe,ſui temporis tragicos reprehendit.Quamquam eius ætatis,qui fuerint in eo genere occupati,aut ignorētur poëtæ, aut laudentur ab Horatio vt Pollio regum facta canit pede ter percuſſo.
& de eodem in Odis.
Paulum ſeueræ muſa tragœdiæ deſit theatris. mox. Vbi publicas res ordinaris,grande munus Cecropio repetes Cothurno. OCCVPET EXTREMVM.] Puerili dicto leuitatem agitat inertium.

Ut preco ad merceis tubam qui cogit emendas.
Aſſentatores iubet ad lucrum ire poëta
Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis,
Si verò eſt, vnctum qui recte ponere poſſit
Et ſpondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum, mirabor ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem, verumq; beatus amicum.

IVBET AD LVCRVM.] Ad malū inertiæ, & nimiæ

negligentiæ morbus adulationis additur. taxat hoc hominum genus etiam in Epiſtolis:

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor,
Impenſis cœnarum,& tritæ munere veſtis,
Non ego nobilium ſcriptorum auditor,& vltor
Grãmaticas ambire tribus, & pulpita dignor. DIVES AGRIS.] Repetit hunc uerſiculum in Epiſt. Secundo. VNCTVM QVI RECTE.]id eſt diuité,vt Epiſt. xviii.
Accedas ſiccus ad vnctum
Si prodeſſe tuis,pauloque benignius ipſum
Te tractare voles.

ET SPONDERE LEVI.] Leuem pauperem dicit, quia egeſtate facile adducitur, vt ad nutum diuitis omnia dicat,& faciat. INTERNOSCERE MENDACEM.] Imitari mihi videntur huiuſmodi poëtæ leuitatem Stratonicæ Seleuci regis vxoris, quæ cum ad vnum capilli ei defluxiſſent, inuitatis tamen poëtis ad certamen de laudibus ſuæ comæ,talentum victori præmium propoſuit. Similiter hi faciunt, qui cum nihil ſcribant laude dignum,muneribus tamen alliciunt adulatores: qui ſic in ea re veritatem imitantur, vt diſcerni à veris amicis non facile poſſint. Quare monet,vt in ſuis laudibus fidem adhibere nemo velit ijs,quos ipſe ſuis muneribus exhilarauerit.

Tu ſeu donaris,ſeu quid donare voles cui,
Nolito aduerſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. clamabit enim pulchre,bene,recte:
Palleſcet ſuper his,etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem,ſaliet,tundet terram.
Ut qui conducti plorant in funere,dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo:ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur.

Reges dicuntur multis vrgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitia dignus. ſi carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes,

ET TORQVERE MERO.] Videtur eſſe merum veluti genus tormenti ad exprimendam veritatem. ſic alibi. Commiſſum tegas, & vino tortus, & ira. Præcipit igitur, vt exploremus animos eorum, qui amicos ſe noſtros profitentur.

Quintilio ſi quid recitares, corrige ſodes
Hoc aiebat, & hoc. melius te poſſe negares
Bis terq́ expertum fruſtra, delere iubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quàm vertere malles,
Nullum vltra verbum, aut operam ſumebat inanem
Quin ſine riuali teq́ & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudens verſus reprehendet inerteis.
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus: nec dicet cur ego amicum
Offendam in nugis? hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptumq́ ſiniſtrè.

QVINTILIO SI QVID.] De Quintilio Varo, ſæpe meminit Hor. hic verò tanquam de homine defuncto loquitur, in primo verò Odarum mortuum deflet. Laudat viuum in Sermon. vt hinc aperte cognoſcamus, Hora-

trium confusis temporibus cõsueuisse scribere res suas vt modo Sermonem, modo Epistolam, modo aliquam Odam scriberet, & per eadem tẽpora hoc ipsum opus, vt cętera, intermissis tamen diebus pro sua consuetudine elaborasse puto, vt commodo suo, & pro voluntate intermissa studia repeteret: hic autem post improbitatem adulatorum, quod sit officium integri hominis, & liberi Quintilij persona docet, qui consulendi sunt, & æquo animo ferendi. quod quidem qui faciunt, ea se liberant insania, quæ hic describitur ab Horatio, vt delyramenta, & vesanos furores imperitorum poëtarum ostendat. VERSVS INERTEIS.] Id est sine arte, & eneruatos, cuiusmodi sunt illi, qui nimia facilitate, & nimia negligentia fiunt. Quod proprium est vitium illorum qui suo nimium indulgent ingenio. Quod in Ouidio reprehendit Quintilianus. DVRVS.] Contrarium superiori vitium. quo laborauit Lucilius, vt

Emunctæ naris durus componere versus. &

Num illius, num rerum dura negaret

Versiculos natura magis factos, vt mollius irent.

AMBITIOSA ORNAMENTA.] Vitium incomptis contrarium. FIET ARISTARCHVS.] Fuit & hic, & Aristophanes, Quintiliano teste, acutissimus iudex, & censor poëtarum, quare Critici sunt appellati. OFFENDAM IN NVGIS. HAE NVGAE.] Id est hæc vitia, & peccata. quæ si essent nugæ, vt quidam existimant non crearent homini tantum mali. Cum enim poëta, præter omne genus hominum, sit admirator sui, & minus omniũ sua vitia cognoscat, si iudicio docti viri probari se credat, nimium, quantum prępceps feratur. itaque ducitur in seria mala. Serium verò contrarium est nugis. Et ideo ex serijs malis innuit illas nugas esse vitia non negligenda. mala verò hæc seria, in quæ conijcitur stultus poëta, est inanis opinio, qua inflatur ab ijs, à quibus laudibus falsis irridetur, & excipitur sinistrè. EX-

CEPTVM SINISTRE.] Nemo ferè poteſt peioribus modis accipi,quàm qui non modo animo fideli, & recto iudicio non corrigitur ab amicis, verum etiam mendaci aſſentatione vanitas eius augetur : Veſanus enim fit,& furens. Deriſum igitur, & ſiniſtre acceptum ab ijs intellige,qui ficto vultu,& aſſentatione turpi hominem deludunt.

Ut mala quem ſcabies, aut morbus regius vrget,
Aut phanaticus error,& iracunda Diana,
Veſanum tetigiſſe timent,fugiuntq; poëtam,
Qui ſapiunt:agitant pueri,incautiq; ſequuntur.

QVOCIRCA QVI SAPIVNT.] Id eſt prudentes viri,& qui periculum cognoſcunt, non ſecus timent; fugiuntque veſanum poetam, quàm illum, QVEM MALA SCABIES.] Id eſt contagioſa, vel quæ curationem recipere nullam poteſt;Sed contagioſa magis:non enim morbus quamuis deſperatus, niſi proximos corrũpat effugitur. AVT MORBVS REGIVS.] Quem Varro Arquatum tradit,quoniam curetur mulſo, vt ait Plin. AVT FANATICVS ERROR.] Lymphati enim viri errore mentis agitantur. ET IRACVNDA DIANA.] Eſt enim ex illis Deis,qui homines agunt in furorem. in furorẽ autem impellere vel terrore ſubito ſolebat antiquorum opinione Pan. Vnde Panici terrores apud M. Tullium, & alios complures.Lege Politianum.Sed eodem modo Hecate,& Corybantes,perturbabant homines. De Pane habemus Eurip. in Medea, quem locum citat Politianus. Sed in Hippolyto planius,& vberius ſic ait:

σὺ γὰρ ἔνθεος ὦ κοῦρα,
εἴτ' ἐκ Πανὸς, εἴθ' Ἑκάτας
ἢ σεμνῶν κορυβάντων
ἢ ματρὸς ὀρείας φοιταλέα
σὺ δ' ἀμφὶ τὰν πολύθηρον

Δίκτυνναν

δίκτυννα ἀμπλακίαις
ἀνίδρος ἀθύτων πελανῶν τρύχῃ

Eadē eſt autē Hecate, & Diana, vnde cauſa videtur hic inueſtigare, cur ab Hecate vexetur, quod ſacra Dianæ id eſt Hecati non egerit. Vt autem Hecatem intelligamus, iracundam appellauit Dianam. Hic igitur eſt ordo qui ſapiunt timent, fugiuntque veſanum poëtam, vt eum, quem mala ſcabies, aut morbus regius, aut fanaticus error, aut iracūda Diana vrget. AGITANT PVERI.] Minus periculum cognoſcunt, idcirco furentes agitant, & parum cauti ſequuntur. fit hoc frequenter, vt amentes homines à pueris agitentur.

Hic dum ſublimeis verſus ructatur, & errat,
Si, veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueam'ue, licet ſuccurrite longum
Clamet iò ciues, non ſit, qui tollere curet.
Siquis curet opem ferre, & demittere funem.
Qui ſcis, an prudens huc ſe deiecerit? at que
Seruari nolit?

SVBLIMEIS VERSVS RVCTATVR.] Vt qui crapulati ſunt, & nimio cibo grauantur ructando leuare ſtomachum videntur: ita poëtæ verſus ructando, quos continere præ nimia copia non poſſunt, videntur releuari: Sed ex fœtore ructi quàm ſint inſuaues illi verſus innuit poëta. Sublimes autem ad iudicium referas ſtultiſsimi poëtæ. IN PVTEVM, FOVEAMQVE.] In inſaniam, & in falſam opinionem de ſua præſtantia. LICET SVCCVRRITE.] At quo tandem modo fiet hoc vt homo, cui ſit perſuaſiſsimum ſe poëtam eſſe optimum, quaſi norit errorem ſuum, imploret opem ab alijs? at ſi ſe norit,

cur per alium, quàm per se malit errorem deponere? at non ita sentit Hor. Verum ea est multorum naturâ, vt quanto magis se probent, & delectentur errore suo, tanto magis videri velint optare se corrigi. Quod si quis ingenuus amicè fecerit, eos grauiter offendit. Quamobrem. LICET SVCCVRRITE LONGVM CLAMET IO CIVES.] Id est quàmuis contendere multum videatur, vt se corrigas: id tamen facere ne cures, nam prudens in eam foueam se deiecit, nec ab ea vult deduci.

dicam, Siculiq; poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Aetnã
Insiluit: sit ius, liceatq; perire poëtis.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec si retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.

SICVLI POETAE.] Vera existimatur historia, ac in eo conuenit huic loco, quod gloria ductus Empedocles in ardentẽ Aetnã sponte sua se coniecit, nec voluisset ab vllo liberari. Quòd si cupiditate gloriæ animum induxit Empedocles poëta vt in ardentem specum Aetnæ præcipitem se daret, quid est, cur dubites hunc quoque eodem actum furore se in eam foueam præcipitasse? Et re vera quidam leuissimi viri sic hærent in suo errore, in tam iucunda versantur insania, vt ea purgari nulla conditione patiantur. Quid ergo faciendum est illis? permittendum, vt sua fruantur insania. Nam INVITVM QVI SERVAT, IDEM FACIT OCCIDENTI.] Cui molestior sit vita, quàm mors, nec minus ipse mortem appetat,

quàm vitam alij. Hunc si retineas in vita, non minus offendis, quàm si quem vitæ cupidum necares. Elocutio Græca est: illa enim verba Græci, quæ similitudinis sunt, vt ὅμοιος, ταὐτὸ datiuo coniungunt, quos hic Horatius est imitatus, & pariter in primo Sermonum, Satyra tertia.

RHETORICOS LIBROS AD HERENNIVM SCRIPTOS AD M. T. CICERONEM NIHIL OMNINO PERTInere, per Iacobum Grifolum Lucinianensem declaratur.

OFFICIVM semper duxi non solum docti viri, sed etiam pij tueri partes veritatis. quare cum multos videã se duci errore, vt Rhetoricos libros ad Hereniũ scriptos, Ciceronis esse magna pertinacia confirment, operam dabo vt omnes facile intelligant eos à quouis alio potius, quàm à Cicerone fuisse scriptos: & quia Georgius Placentinus visus est excogitasse illa argumẽta quibus cæteri nitãtur omnes, cũ eo mihi res futura est, nec tamẽ omittã si quid ab alijs videatur alicuius ponderis allatum refutare. ne grauetur igitur quisquam æquo animo legere quibus argumẽtis eos refutemus. Vt igitur. M. Tul. iam inde ab adolescentia declararet quãta eloquentia studiosis allaturus esset adiumenta artis huius præcepta, quę partim audiendo, partim legendo puer didicerat, cum omnibus sibi cõmunicanda iudicauit. videns igitur omnem orationis vim in quinque partes esse distributam, earum, & partium præceptiones tradere, vt ipse didicerat instituit. cum autem omnia quæ ad Inuentionem videbantur attinere, diligenter, vt ferebat eius ætas, explicasset; animaduertit tamen inesse multa vitia, quæ si puero, aut adolescentulo condonari, aut etiam in doctores suos transferri poterant, noluit tamen videri ea confirmare, quæ cum falsa, tum contraria illis essent, quæ maturius aliquando se scripturum forte cogitabat. quo circa nec reliqua orato

ris officia placuit attingere,& quod iam erat absolutum improbauit.cum autem non paucis post annis,vt res de clarat,vsu venerit,vt quidam alius de hac ipsa re eadem ferè pręcepta,& eadem ratione,quæ tum communis,& vulgaris erat,ad C.Herenniũ scriberet,ex eadem officina visa sunt omnia emanare.cumque illud etiam accide re potuerit,vt vitio temporum vt alia multa illud opus diu latuerit,ac inscriptio eius, quod repertum fuit, iam corrosa esset, vt cuius iam esset auctoris non facile discerneretur,factum est,vt similitudo doctrinę,ac institu tionis homines præsertim parum sentientes quantum inter filum,& genus orationis huius,et Ciceronis inter esset,in eum errorem induceret, vt Ciceronis hos libros esse iudicarent, atque huius opinionis error ita conualuit,vt per multa secula nulla sit cuiquam orta suspicio eos alterius cuiu squam esse, donec homines lite rarum iam peritiores animaduertere cœperunt phrasim illam à Cic.phrasi admodũ differre:ex qua re orta suspicio fuit vt viri docti illos libros diligentius examinarent, ac quibusdam coniecturis non solum ipsi persuasi sint, sed alios quoque persuadere voluerint in familiã Cic.ad Her.libros admitti nõ debere.quòd si illi vt recte sentiebãt,ita probare potuissẽt,& Vallã cũ alijs et me hoc labore disputandi liberassent,ad quem quidẽ suscipiendum me compulit amor veritatis. auctoritas enim Georgij Vallæ multos in errore confirmauit.Primum igitur ex eo libẽter audirem si fieri posset, aut ex quouis alio,nihil enim refert à quo veritatẽ discas, quibus coniecturis ducti Ciceronẽ dicant adolescentẽ illud opus conscripsisse,cum perspicuum sit hoc esse falsum.nam à quocunque id sit compositum,à viro compo situm est ętate matura,atque constãti,id quod ipsius au ctoris testimonio confirmabo,ac in eos sua ipsorum argumẽta retorquebo. nam statim à principio negocijs fa miliaribus impeditum se dicit, vix satis otium studio

suppeditare posse,& id ipsum,quod datur otij, cõsume re in philosophia solere.ita est inquiũt & hoc ipsum no biscum facit.nam Cicero more suo hic est locutus. sic enim in Tusc. defensionum laboribus, senatorijsque muneribus aut omnino,aut ex magna parte liberatum se ad studia philosophiæ retulisse scribit. sic de Natura Deorum. Ego verò tãtum abest, vt hoc negem vt addã etiam M.Tul. idẽ in Acad. Q. ac alijs in locis fecisse.sed quorsum hæc?num quia.M.Tul.ita consueuit, nemo alius idem faciet?aut si faciet,eum statim M.Tul. dicemus esse? sed fac esse hunc M. Tul.non continuo vinces in adolescẽtia curis familiaribus unquam à rhetorices,aut philosophię studiis auocatum fuisse,dissimulant credo se legisse,quæ ipse in Bruto suo de tota ratione, & cursu studiorũ suorũ diligentissimè perscripsit,vbi testatũ reliquit se ab ineunte ætate acerrimo studio quotidie scribere, legere,commentari consueuisse, nec oratoriis tantum exercitationibus contentum fuisse, sed iuri ciuili apud.Q. Scæuolam, tum philosophiæ apud Philonem Academicũ, & Molonem Rhodium multum operæ dedisse,atque permulta alia sunt ibidem perscripta, ex quibus intelligamus in adolescẽtem Ciceronem illa procœmii verba minime conuenire.Eos verò locos per quos hunc interpretari volunt, miror cur illi contra se pugnare non sentiant.nam M. Tul. sæpe dicit se studia philosophiæ repetere, sed tum loquitur, vt scriptor, vt doctor, non vt discipulus & auditor. nam testatur ipse se summo ardore perpetuam,& assiduam operã studiis in adolescentia dedisse,ac de Natura Deorum sero literis ea mandare cœpisse. quare hoc principium procœmii neque per hos, neque per ipsum adolescenti Ciceroni cõgruit.Huc accedit, quòd ea sententia inusitata est,& aliena prorsus à Cicerone, nusquã enim reperitur esse questus familiaribus curis sua studia impediri: quòd si concedam hic ita queri cœpisse, restat vt matura iam

ætate præclaros illos de Dicendi arte libros,& ea facul tate dignos,quam ex tot,tantisque causis, quas dixerat sibi comparauerat, scripsisse dicamus.Quod etiam firmiore demonstrabitur argumento, nam hic auctor Terentiæ& Tullii in constitutione illa spuria,& adulterina,non legittima mentionem facit, si quemadmodum ipsi volunt,vt vir vxoré, vt parer filiũ nominauit, quæso, mihi respondeant,qua Cicero ætate hunc filium suscepit,in adolescentia verò dicunt,quæ auctore Censorino ad annum XXI. perducitur,quæ quidem ætas vtilis est ad procreãdum,quid Censorinum mihi narrant? cur non hic potius ætatis partitionem M.Tul. sequuntur? qui quidem magis erroré illum adiuuabit.is enim de Senectute hominis ætatẽ quadripartitam facit,adolescẽtiam verò trigesimo videtur anno terminare.Nam & pro Roscio Amerino cum annos XXVII. natus eam causam egisset, tamen in Oratore suo adolescentulum ait se eam causam dixisse, sed hoc nihil ad illos. Nonne in Epist. ad Att. reperiẽt his verbis scriptum qua ætate Cic. filium suscepit? inquit enim L. I. Cæs. C. Martio Figulo coss.Fliolo me auctum scito salua Terentia,ego de meis rationibus scripsi ad te antea, hoc tẽpore Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus. constat ne Cic. filium suscepisse cum candidatus consularis esset? nec Tullii mentionem hanc fecisse putandum est, statim vt ortus fuisset, sed aliquot iam agenti annos, quare ne in ratione hac annorum nimium diligens esse videar annũ XLII. agens Cic. filio est auctus. Nam in Philippicis testatur à Coniuratione Catilinæ ad furores M. Ant.XX. annos interfuisse,cum autem ille anno ætatis suæ LXIII.ab Herẽnio fuerit occisus,satis constare arbitror quot annos natus consulatum gesserit,in quo Catilinæ oppresione salutem reip. conseruauit.Hanc autem supputationẽ meã Ciceronis verba ad eũdem Att.in VII. cõfirmant.cũ decedens ex prouincia

tiam

ire se Rhodum scribit puerorum causa, atque per ea tempora Ciceronem filium puerum semper appellauit ac Dionysiū habebat apud se, quo ille doceretur. quod si in Censorini adolescentia eum Cicero procreasset, virili iam & matura ętate Cic. filius fuisset, quando pater Ciliciam proconsul obtinebat. quare falsum est. M. Tul. vel puerum, vel adolescentem illam artem tradidisse. at cur non ea quoque ratione horum cōfutemus errorem, quòd illa verba de filio, & vxore non sunt ad Hereniū scribentis, sed illius quem inducit in testamento suo vasa argentea legare? ex quo intelligimus per hos non. M. Tul. de vxore & filio tanquam de alienis personis locutum, sed alium, qui tum scribebat. Conficitur igitur falsum esse Ciceronem Terentiam vxorem aut Tullium filium nominasse, quòd si tamen fecisset rhet. illos ea ætate scripsisset cum in causis regnabat, cum de Oratore scribebat, quo quid absurdius? quod si cui fortasse parum momenti habere videatur qua is ætate tradiderit illam artem, modo ab illo posŝint obtinere profectam esse, hic videant, quanti sit. M. Tul. incōstantem, leuem, ac secum pugnantem constituere, id quod necesse est euenire, si Cic. eos libros esse statuamus. neque vere hic excusatur adolescentia, neque damnatos eos libros fas est putare, quos in ea ætate scriptos edidisset. nam adolescenti vel puero excidisse sibi ex cōmentarijs inchoata quædam, & rudia testatur ipse, non viro consulari; itaque de Inué. libros intelligit, nō ad Heren. scriptos quos non ante quadragesimum annum vitæ suæ scribere potuisset. Quo cōstituto omnia planè corruūt argumenta, quibus isti conficere conantur illas præceptiones ad Her. scriptas esse Cic. itaque causa mea iā perorata videri posset. nec enim adolescēs Cicero nec puer tradere illas potuit, nec ita delyrabit quisquam, vt eas esse dignas ea ętate, eo vsu, & facultate, quam ex tot causis, tantisque consecutus erat. perfecta enim erant omnia,

mnia,& expolita,quę tunc ex eo proficiſcebãtur,vt tres illi de Oratore libri. Poteram hic igitur conſiſtere, ad uerſariorũ iam damnata cauſa: ſed libet vberius oſtendere nihil ab eis firmi excogitari potuiſſe,quo cauſa illorum ſtare videatur. Primum igitur ad id reſpondemus quod ex eo negant effici alium Herennio dicendi rationem oſtendiſſe,quod in Oratorijs libris M. T. multa contra quàm in illa arte,pręcipiantur.nã ſi hæc ratio valeret inquiunt nec de Inuent.quidẽ libri Cic.eſſent,cũ tamen res ipſa contrarium oſtendat. Nam quod indignum eſſe Valla Placentinus confitetur, ſi loco, ſi tempore,ſi volumine eodem a ſe ipſo quidquam diſſentiat, aut de vniformi ſcientia libenter ex eo quæſierim, cur de Conſtitutionibus, cur de Diuiſione cauſarum, cur de Partibus orationis, cur de Definitione cuiuſquam rei, cur de Artis eiuſdem materia, & de ſimilibus rebus, quæ totius artis capita ſunt maxima, liceat eidem auctori vel loco, vel tempore, vel etiam volumine pugnantia inter ſe dicere,cur hæc vniformia non videantur eſſe?quis autem adeo mentis inops hæc aut faciat,aut facienda putet?at hæc omnia in omnibus oratoriis libris,quos Cic.ſcripſit,& probauit aliter tradita ſunt,& explicata,quàm in Rhet.ad Her.ergo leuiſsimus Cic.atque indignus qui legatur,ſi eius ſit illud opus de quo nunc eſt inter nos cõtrouerſia,nam ſi vſu poſtea & doctrina vidit meliora,fuit illius prudentiæ imperitioris ætatis vitia delerę. nam ſi ob eam cauſam,quod alij aliter de Dicendi facultate ſcribunt, Cic. licuiſſe velint pugnare ſecum, quæro an inter Phil. de Anima conueniat. cum verò de ea tanta ſit inter illos altercatio, num Plato poſſet excuſari ſi eam aliàs mortalẽ,immortalẽ aliàs eſſe cõfirmaſſet? at qua nã de re tãta eſt inter Phil. diſſenſio, quanta de Bonorum finibus, & malorum?ergo Plato,aut Zeno aliud aliàs de his dicere ſine vlla reprehenſione potuiſſet.nequaquam.ſic igi-

ta? cur de integro suscepit inutiles labores, si suscepti non erant contemnendi? non enim opus de Inu. iudicio Becich. rude, sed inchoatum excidisse sibi ait Cicero, at si nó rude, excidit politum: neque enim intelligo quid interiectum sit inter utrumque, nam alterum alteri proximè succedere fatendum est, quare si non rude inquam, abiecit expolitum, quid ita? vt constantius in re rudi laboraret, quàm in re limata? Verum ab vno capite multa peccata generantur, cum enim falso tueri velint eos lib. esse Cic. inducuntur in varios errores. vt dicant primum non de Inuentione solum sed etiam ad Her. Rhetoricos damnatos esse, quod vt defendant mirum est, quàm suis argutijs delyrent, hos enim rudes, illos inchoatos accipiunt. sed hæc leuia sunt quamuis aperte falsa. at quis ferat hominem senem confiteri prius de Inuen. quàm ad Her. scripsisse Cic. nec tamē affirmare dubitantem illa pręcepta ex varijs scriptoribus in suum librum transtulisse? hæc autem ad Her. posterius scripta ex scholis extulisse, ac in suos cōmentarios contulisse? quid vnquam tam præposterum? ac suæ stultitiæ Quint. citat auctorem, & diuum Hieronymum. verum de his mox videro. nunc addam etiam illud, quod reliquos libros, quos in secundi fine de Inu. pollicetur se scripturum, eos esse lib. ad Her. scriptos non solum credit sed etiam conatur aliis persuadere. o stultum, & delyrum senem, si reliquos scribere cogitabat, ergo primos tum probabat, & non totum opus, sed partem, quę deerat, scribere cogitabat. nam reliquum semper ad id refertur, quod actum est, & non perfectum, vt his verbis ibi Cic. declarat. Quoniam & vna pars ad rectum hunc ab superiore libro producta est, & hic liber non parum continet literarum, quæ restant in reliquis dicemus, an ex his verbis quid propositum esset Cic. quisquam dubitabit? quasi verò hic tantum de reliquis actu rum partibus se promittat, & non esse in primo de nar-

ratione,vbi non loco dicitur inquit narratio, cum non in ea parte orationis collocatur, in qua res postulat, de quo genere agemus tum,cumde Dispositione dicemus: nam hoc ad dispositionem pertinet,num instituẽs Her. prȩstitisse hoc videbitur? Nec illud huic penè simile sine risu legi. pollicitũ esse vt ait Valla M. Tul. in tertio ad Her.libro se de re militari & de Rep.scripturũ,quid si negem his verbis ea pollicitum?inquit enim & cæteras res de quibus magis idoneo tempore loquemur, si quando de re militari, aut de administratione reip. scribere velimus,ergo M.Tul.iam inde ab adolescentia de Rep.scribere cogitauit.at hæc verba,si quando velimus confirmandi vim non habent,nec si habere vinces continuo vinces promissum prȩstitisse, nam de Re militati quod circunfertur opusculum non magis est à Cic. scriptum, quam ad Her.libri Rhetoric.quos nullam ob aliam rem ab eo scriptos affirmare possunt,quàm vt bis eadem peccaret, aut vitia vitiis commutaret, & quod iterum damnaret esset. at quo tandem tempore secundum abortum à se reppulit M.Tul.non cum erat in officina, alioqui ad finem eum non perduxisset, vt accidit libris de Inu. ergo perfunctus iam omni labore displicere sibi cœpit. Quis auctor? Barbatus Hier. inquit Becichemus, qui inchoata Ciceronem dixisse de rhet. de Inuen. & rudia de rhet. ad Heren. his verbis testatur:Tullius tuus,adolescentulo sibi inchoata quædã,& rudia excidisse, sed ille tam de lib. ad Heren. quàm de rhet.quos ego vel perfectissimos puto, ad cõparationẽ senilis peritiæ dicere potuit,placet mihi eos libros indignos Cicerone etiã Hieronymo videri,vt stultitiæ suȩ Becichemus aliquem habeat auctorem, sed quamuis de illis quoque rhet.Hier.intelligat,eius tamẽ auctoritas non probatur.ostẽdat enim primum eos à Cic.confectos esse, & deinde refutatos: sed neutrum ostendi potest. nam primum est falsum, ergo & secundum, sed

vbi nam ea Ciceronis peritia se ostendit illis in lib. Oratoriis puto: ita ne? at eodem fere tēpore, si ad Her. scripsit Cic. id opus scripsisse necesse est. itaque differentia doctrinæ erit in libris, non in tempore. quid mihi responderet Becichemus? in consulatu inquam suo, aut etiam post cōsulatū ad Her. scripsisse necesse est: etenim dum ea petitio, & prensatio vigebat, ex Terentia Tullium suscēpit, nec vlla ratione vincet nec Hier. nec Becichemus ante hunc partum libros ad Her. compositos fuisse. est enim Terentiæ, & Tullii facta in primo clara et manifesta mentio. rectè igitur Regius cuius eruditio non vt Becic. verba Hier. esset interpretata. quid enim hic ait? sed hoc ille tam de lib. ad Herennium, quàm de rhet. dicere potuit, vbi est ea distinctio quam facit audacia Becichemi? vtrunque de vtroque dictum opere cōfirmat Hier. quid hic ait Becic. inchoatum, quod inceptum est, necdum perfectum, is ne solus id intelligebat? sed inchoatum id esse quoque scire debuit, quod rude sit adhuc, & impolitum, quod hoc vno exemplo ex quarto de Fin. bonorum, & malorum cuique constare potest. non enim inquit Cic. sapientia ipsa genuit hominem sed accepit à natura inchoatum, quid in homine deesse statuemus? num membrum aliquod? minime verò; sed eruditionem, & perfectam rationem, quæ rite sapientia nominatur, & perficit hominem sine qua inchoatus est, quia deest illi expolitio, tanquam signo alicui quod omnibus partibus expletum sit, sed rude tamen, & impolitum. quod ne Becichemus quidem perfectum dicere audebit. Quod intelligens Hier. inchoatum, & rude non solum interpretatur imperfectum, nec dum finitum, & rude opus, sed id quoque quod omnibus suis partibus cōstaret, & nondum lima esset expolitum. & is erat sensus Hier. & idem esse debuit Becichemi. Sed tempus iam postulat, vt ad Quint. reuertamur, cui nemo tantum tribuit, vt quod ipse nūquam

nominarit, id esse Cic. opus nullo modo possit. sed illud, quodcunque de hac arte scriptum Cicero reliquit, & ex eo citandis locis Quin. nunquam nominarit, verisimile quisque ducit non esse Ciceronis: nec obest quod aliquando ne veterem quidem artem nominet. aliud est enim nunquam omnino nominasse, aliud semel aut iterum ad summum tacuisse nomen, cum sexcentis locis nominatim probet, aut improbet illam artem ex quo facilis est coniectura non Ciceronis illud quidem opus ad Heren. scriptum sed alicuius fuisse non satis in eo genere probati. quid nunc respondebunt? non sibi proposuisse Quin. quæcunque Cicero scripsisset recensere, fatemur. nec tamen absurdum cuiquam videri debet, id opus de Ratione dicēdi scriptum non statuere Ciceronis esse, cuius nomen auctoris Quin. indignū statuat, quod à se vnquam proferatur, at vide quo ducat Becichemum ignorantia, quam cæca feratur ira in Raphaelū. Regium virum acerrimi planè iudicii. audiui equidem vtrumque, nec obscurum mihi tunc erat, vter vtri præstaret ingenio, quod etiam nunc vtriusque legendis scriptis facile discerno, nunquam certe Regius ita delyrasset, vt Rhetoricorum ad Her. factam esse mentionem putasset, vbi Quint. ait, sed quod ipsius de iis libris iudicium fuerit, supra dixi: sunt enim veluti res regestæ in hos commentarios, quos adolescens deduxerat schola, & siqua est in iis culpa, tradentis est. verum libenter audirem; & discerem vbi nam in primo scripta sint ad Her. hæc verba, hæc autem de negociali constitutione scripta sunt, quæ his verbis reprehēdit Quint. nec me fallit in primo Ciceronis Rhetor. aliam esse loci negocialis interpretationem cum ita scriptum sit. Negocialis est, in qua, quid iuris ex ciuili more, & æquitate sit, consideratur, cui diligentiæ præesse apud nos iureconsulti existimantur, sed quod de iis lib. iudiciū fuerit. &c. quæ nisi reperiātur in primo de Inu,

erunt mihi delyramenta Becichemi diuina oracula.ex quibus quidem verbis aliud etiam ducitur argumentum idque firmiſsimum Rhet. libros ad Herē.non eſſe ſcriptos à Cic.in primo enim inquit Rhet. nec dixit cu ius artis,quid ita? quia ſciebat unam tantum artem eſſe Ciceronis cui pulcherrimos libros de Orat.ſubſtitutos affirmant, ac ita ſemper ex rhetoricis lib. ſolet citare locos,vt in hoc ipſo capite & Ciceroinquit in lib.Rhetor. facti, nominis, generis, actionis & vbi de Finib. diſputat, inquit enim: in Rhet. enim quos ſine dubio ipſe non probat,finem facit perſuadere.an hic, aut illic ad Her. miſſos intelligat vnquā libros cū nec finis defi nitio ſit in illis,& diuerſa conſtitutionum ratio? & in tertio de.M.Tul.loquens,poſt quem inquit tacere modeſtiſsimum foret,niſi & rhetoricos ſuos adoleſcenti ſi bi elapſos diceret,& quæ ſequuntur.quòd ſi duas artes M.Tul.ſcripſiſſet,explicaret.Q. more ſuo de qua vellet intelligi,ſic enim ſolet cum ex Oratorijs aliquid ſumit Cicero in Or. de Claris or.de Or.in Part.nequā lectori confuſionem afferat,cur non idem hic? quòd vtique feciſſet ſi artis vtriuſque fuiſſet idem auctor: cum verò nunquam id omnino fecerit, vtram nos intelligamus artem?num de qua tanta ſit inter omnes controuerſia? ande qua nemo vnquam dubitauit?Quid hic effutient? duas Quin. artes innuiſſe? vbi titulis ait Ciceronem libros,quos de hac arte primū ſcripſit,Gręcis inſcripſiſſe atque hic vehementer ſe ſe erigunt. Si vnam artem inquit,& non duas id eſt veterē,& nouam ſcripſiſſet,nunquam tantus auctor titulis, ſed titulo dixiſſet & c.vide obſecro quàm belle decipiantur, non ſolum hi titulos quia duo ſunt, ſed etiam libros, quia duæ ſunt artes Quintilianum dixiſſe putant,atqui falluntur more ſuo, atq; id imperitia ſermonis Latini, libros enim duos de Inu.intellexit Quint.nec aliter vnquā eſt locutus, nunquam enim librum de Inu. dixit qui Latinè locutus ſit,

nisi primum, aut secũdum adiũxerit.nec item de Orat. librum,sed libros, vel suppresso nomine librorum de Orat.de Inu.de Fin.In Tusc.quisque dicere cõsueuit,vt ipsi quoque ab ipso Cic. si parum Quintiliano credũt, discere potuissent.qui de Diuin. inquit,Nostri quoque Oratorij libri in eundẽ numerũ referendi videntur:Ita tres de Oratore,Brutus quartus, quintus Orator. non librũ dixit de Orat.sed tres libros,quicũque verũ librũ aut Brutum, aut Oratorem dixerit probe locutus erit, male verò qui de Inuentione librum cum duo sint,nam libros est dicendum,nisi primum,addat,aut secundum, quod Quint.facit;quippe qui cum duo sint de Inu.libri ambos dixit à Cicerone Græcis titulis inscriptos et hęc est ratio cur libros, & titulos numero multitudinis pronunciant,nec alius ex eius verbis sensus elici potest. quãdo non libros ad Heren.sed pulcherrimos illos tres de Orat. duobus de Inu.libris substituisse Ciceronẽ testatur idem Quint.Iam verò cum dicit quos primũ de hac arte scripserat, nonne intelligũt libros de Inuen. tantum declarari? primum enim respectu secundi est dictum,quod si secundos esse velint ad Heren.lib. non laboro,satis est illis verbis solos de Inu.libros designari.at secũdi tres illi de Orat.sunt accipiẽdi,quos substituit primis de Inu.vides omnia horum argumenta non solum facile refelli,sed in eos facilius posse retorqueri, aut saltem nihil obesse?Enumerant præterea quosdam locos ex illis rhet. à Quintiliano sumptos,quasi nõ ipsi sua diligentia aliena confirmant argumenta. siquidem multo minus mirandum esset,ab illius nomine tam diligenter Quintilianum abstinuisse,si ab rebus ipsis etiam abstinuisset, non enim illius operis auctorem nominare necesse est, cuius imitari vel cõfutare scripta nõ lis.at hic reprehendit ex libris illis quædam,& auctoris nomini pepercit,ob eam rem credo,quòd parum putabat esse ex dignitate sua obscurum aliquem ręthorem

damnare

damnare,quare vitia reprehendendo auctoris nomine suppresso,& iuuentutis vtilitati,& honori suo consulebat:at illud tamen exemplũ cõplexionis ex illo sumere non erubuit.Qui sunt,qui fœdus sæpe ruperũt? Carthaginiẽses quid ni sumpserit,si bonũ? neq; enim ij sumus, qui negemus inesse multa in illis libris vtiliter exposita: nec tamen hoc quidẽ loco vnde vel à quo sumeret indicauit, non enim qui sæpe boni probantur auctores,sed qui vel nunquam vel raro mali. Ignoscendum est igitur magno rhetori, si malorum auctoritatem sua noluit confirmare.Sed hoc nonnihil ad rem nostram, nam id obtinere volumus,si ex Cicer.essent loci,quos hi colligunt,non fuisse nomen eius Q. taciturum vt fecit in V. vbi ait, his illud adiicere ridiculum putarẽ, nisi Cicero vteretur,quod coniugatum vocant. nam quod illa referunt,quasi in vsum suum conuerterit. Quint.nimirum aperte mẽtiretur;sic enim in ix. scribit.Aliter quoque voces aut eadem, aut diuersa in significatione ponuntur, aut productione tantum, vel correctione mutatæ,quod etiam in iocis frigidum equidem tradi inter præcepta miror, eorumque exempla vitandi potius, quàm imitãdi gratia pono,amari iucundum est,si curetur nequid insit amari.Auium dulcedo ad auium ducit, tantum igitur abest vt huius auctoritate nitatur Q. vt moneat alios, vt ab his vitiis abstineant.Sed quàm acriter contra tales Ciceroniani iuris vindices ille pugnet, cognoscere ex hoc loco tertii libri vbi de Rhet. de Inu. sic ait, sed quod ipsius de iis libro iudiciũ fuerit supra dixi.sunt enim veluti res regestę in hoscommentarios, quos adolescens deduxerat schola,& siqua est in iis culpa tradentis est,siue eum monuit,quòd Hermagoras prima in hoc loco posuit exempla ex quæstionibus iuris, siue quòd Græci πραγματικοὺς vocant iuris interpretes. sed Cicero quidem his pulcherrimos illos de Orat.substituit. Facessant igitur isti cum omni illorum caterua,

qui semper Rhet. lib. ad Her. ignari cuius essent. M. T. adscripserunt, quos auctoritate ipsius M. Tul. confutarem, qui nec in numerum suorum operum referre hoc nunquam voluit, vt in procemio secundi libri de Diuinatione constat, vbi ordine seruato quoscũque ad eam diem scripsisset libros, recẽsuit, præter eos, quos damnauerat, nisi hos quando ad Her. damnatos esse mentiretur, & dum Rhetoricis suis de Inu. se libros de Oratore substituere profitetur, negat de hac arte ad Her. quicquam à se missum sed ineptiis quibusdam, Ciceronis verba ita confundunt, vt aliorum iudicio standum sit potius, quàm ipsius Ciceronis. at cur non plus fidei nobis vnus Quint. faciat, quam iuniores omnes? qui veram operis inscriptionem videre potuit. quare nihil me mouet, quòd multis ab hinc annis plerique hoc esse Ciceronis opus crediderunt, quid igitur horum causam adiuuabit? quod L. Her. familiaris fuit Ciceronis at quid nobis cum Lucio? quando ars illa si titulo credimus C. non L. scripta fuit? sed uide quàm liberaliter cum his agamus, damus etiam C. Her. familiarem M. Tul. fuisse quid tandem proderit? cur familiarem appellant? qui cognatus erat? num quia maius familiaritatis, quàm cognationis vinculum? Sed fuerit familiaris, fuerit cognatus, quid efficietur tandem? potuisse id opus ad C. Her. à Cicerone scribi: concedo hoc etiam potuisse, sed hæc est quæstio facti, non an fieri potuerit, ostendant factum necesse est, à quo longissimè absunt, nam si concessis vti voluissem paucissimis eos conuicissem, concedunt enim stylum & præcepta huius artis cum stylo, & præceptis aliorum de arte operum Cic. minimè conuenire; quid tam multis opus fuit, cum tam bellos habeam præuaricatores? nam quid aliud optarim, quàm dissimile esse filum orationis, dissimilia præcepta huius artis, & illius eos confiteri? quid aliud inter Hermogenis, & Aristotelis artem dicemus interesse? fa

tentur illi quidem hæc esse inter se diuersa, sed tamen esse omnia Cicer. nam scribit. Quint. mutari debere stylum pro causæ qualitate. Sed nec M. Tul. præcipere hoc omisit, nam multis in locis monet eandem orationem non omni causę conuenire, quarum tria genera in eloquente requiri docet vt humilia subtiliter, magna grauiter, & mediocria temperatè posſit dicere, hæc & similia pasſim apud M. Tul. leguntur, qui stylũ arbitratu suo aptisſimè flexit, ita in libris de Philosophia & Oratoriis, in quibus docere tantum conabatur, æquabile secutus est, & temperatum dicendi genus; in causis verò quam quæque postulabat adhibuit orationem, sed cognosces tamen omnium scriptorum Ciceronis phrasim, si conferas, adeo similem, vt si ex illis forte aliquid esset, quod nulla alia ratione cognosci posset, tanta vis tamen esset in similitudine orationis, quod Ciceronis esse id prorsus iudicares, vt vicisſim hoc de quo nũc agimus alienum, conferre debuerunt cum tot voluminibus variis temporibus à Cic. editis hæc ad Heren. scripta, & ostendere aliquam his esse cum illis affinitatem, id quod præstare nunquam potuissent, verum sæpe confugiunt ad Plutarchũ, quanquã nihil eos adiuuat, nunquam enim is dixit aut ad Heren. scripsisse Cic. aut vario à variis rhetoribus, quos ipse in Græca secutus esset, stylo, vt isti aiunt, imbutum, nec item Cicero id ait, qui totum illum cursum studiorum suorum multo diligentius persequitur: tantum enim is testatur à Molone, demum Rhodi nimiam suam redundantiam, & superfluitatem viuendi quadam dicendi impuritate, & licentia repressam. Sed omnes hi Græci erant, de quibus Plut. & Cic. meminerunt, & Græcam Cicer. orationem formabant, nam Latinam qui poterant? cum nemo illorum sciret Latinè? adiuuit tamen eum magnopere Græcorum lima. nam & à Græcis posſumus vt presſi, & limati simus in Latinis, vt graues, & temperati, & quid

ſatis ſit vt cognoſcamus diſcere.verborum autem vim, & proprietatem Latinorum ex multa lectione,cum poe tarum tum oratorum noſtrorum,& ex vſu,& cõſuetudi ne dicendi,multamque ſcribendi copiam nobis compa ramus,vt exiſtimare de Cicerone poſſumus, recepit igi tur ſe Cicero ex Græcia vt ipſe ſcribit non modo exer- citatior,ſed prope mutatus,num in deteriorem?ſed cur ſtylo potius mutatus,quàm arte,& actione,& tota deni que oratoris facultate? verum imprudentia quoque temporum feſellit hos homines.nam adoleſcentem vo lunt Ciceronem id operis ſcripſiſſe, iam mutata dicen- di forma qui quod fieri non potuit, quoniam vir erat cum è Græcia mutatus rediit, ita per illos multis ante annis ad Heren.ſcripſerat,quàm variaſſet ſtylum,quare non video cur Secundæ artis oratio ab oratione Primę diuerſa eſſe debeat,cũ tamen nihil poſsit eſſe diuerſius, nec tamẽ vlla ratio eſt cur in eadẽ ætate de eadẽ arte,de eadẽ facultate tradens præcepta non eadem orationis phraſi vteretur. At fac eum mutaſſe,vt iſti volũt,dicen- di formam,cur in illis tantum libris id apparet?cur reli- qua Cic. ſcripta ſimiliora ſunt illis de Inu.libris quàm ſcriptis ad Heren.at quàm variarit ſtylum in Græcia Ci cero, ex orationibus pro Quintio, & pro Sext. Roſcio Amerino poteſt intelligi, quas quidem prius habuit, quàm eſt in Græciam profectus, quid imprudentius igitur ab his dici potuit?quid abſurdius fieri quàm tãta obſtinatione contendere id opus eſſe Ciceronis? quod nec ab adoleſcẽte Cic.nec ætate maturiore ſcribi potue rit,nec præceptis, nec ſtylo cum illius Oratoriis libris conſentire conſtet. Mitto quod hos de Orat. libros vt ipſe teſtatur M. Tul. & confirmat Quint. libris de Inu. ſubſtituit, ex quibus luce clarius apparet, quàm ambi- tioſè fecerit quicunque ille fuerit, qui ſcripſit ad Her. cum alienam ſibi gloriolam vendicauit, non enim ipſe primus de Inſinuatione noua illa excogitauit,ſed vt pla

giarius Ciceroni surripuit, qui quidem prior tria illa insinuandi tempora demonstrauit, quam rationem hic transtulit in artem suam vt propria, atque id satis impudenter, quod quidem argumentum, isti veluti firmissimum aut in prima aut in postrema solent acie collocare. Sed cum illud opus locis fere omnibus, quæ capita sunt artis, cum Ciceronis pugnet, cum illud dicendi genus, cuiusuis sit potius quàm Marc. Tul. cum nulla omnino ætate ab eo scriptum esse cõstet, alterius id sit studio compositum necesse est, qui alienæ sibi gloriæ vmbram quandam sumere non dubitauit.

RERVM IN HISCE COMMENTARIIS OBSERVANDARVM compendiosus Elenchus.

A

B

C

V

T

FINIS.

Deprauatarum quarundam uocum recognitio.

Pag.		versu	
Pag.	18.	25.	κακόζηλον
	30.	6.	ſit vtendum
	31.	30.	ἐξάμετρα
	37.	vlt.	ſonas eſt
	39.	19.	ἁρμόττοντα
	45.	16.	Tuque rectius
	48.	4.	Homerum
	54.	15.	iuuentus
	64.	6.	orationis
		7.	facere
	83.	13.	ἀμφοτεροδέξιον
		23.	προσίθεσθαι
	85.	34.	ob cauſam
	86.	8.	ἆθλα μὲν
	100.	23.	apparet orationem

Corrigatur numerus folii O hoc eſt, 105.106.107.108.109.110.111.112.

108. 13.	foris aſcita
26.	papaueris
111. vlt.	ἐκολάζοντο
135. 21.	filiolo
144. vlt.	rhetorem